

63381/B

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON



ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

VANZETTI, T.



Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b29311275>

LC3

23

ANNALES

SCHOLÆ

CLINICÆ CHIRURGICÆ

CAESAREAE

UNIVERSITATIS CHARCOVIENSIS

QUOS

ad celebrandam anniversariam diem XXX Augusti

ANN. MDCCCXLVI


PUBLICI JURIS FECIT

T. Vanzetti,

Chirurgiæ practicæ et Ophthalmojatriæ P. P. O.




ANNUS ACADEMICUS MDCCCXLV-VI.



CHARCOVIÆ.

TYPIS UNIVERSITATIS.



MDCCCXLVI.

27

Напечатано по опредѣленію Совѣта Университета.

Секретарь Совѣта, Ф. Рогожинъ.

P R O O E M I U M .



PROCEMIUM.



Simul atque ex decreto inclyti Senatus Cæsareæ hujus Universitatis mihi gravissimum munus demandatum est, solempni hac die primariam hanc cathedram conscendendi, et tanquam orator coram Nobilissimis Universitatis Praesidibus, coram sapientissimorum Professorum coetu, coram Universitate, imo Civitate tota perorandi, equidem adeo me perturbatum sensi, tantaque animum meum trepidatio subivit, ut, quum me ad apparandum opus festinanter accingerem, obnubilata propemodum mente, non materiam ad disserendum invenirem, et quasi omnia in me obmutuissent, non verba voluntati suppeterent. Contigit scilicet mihi id, quod ferè omnibus contingere hominibus solet, ubi aliquod sibi adstare magnum videant periculum, cui superando impares sibi vires agnoscant,

ut in conspectu periculi ipsius repentinam omnium quodammodo facultatum jacturam se fecisse sentiant.

Atqui neminem vestrum AA. HH. profecto mirari opinor, me ideo in tantas angustias tantamque animi dejectionem conjectum fuisse, quum prope nemo vestrum ignoret, me hominem medicum, jam pridem ab humanitatis, quæ dicunt, studiis divulgum, majorem et meliorem vitæ meæ partem nulla alia in re consumsisse, nisi in contemplatione miseriarum, quibus corpus humanum affligitur, et omnino omnem vivendi rationem inter perpetuas fere ægrorum lamentationes, in rebus non elegantis dictionis apparatu exornandis, sed in solam afflictorum salutem agendis collocasse, ideoque non Demosthenem et Ciceronem, quorum luminibus splendescere hodierna oratio deberet, sed Hippocratem et Celsum manibus versare debuisse.

Quamobrem quum meo semper metiri pede me consuevissem, et probe compertum haberem me unquam neque tantum eruditionis, neque tantum facundiæ, neque tantum denique animi nactum fuisse, ut et venerandum hunc locum adire, et amplissimam vestram, illustrissimi Curatores Dignitatem, Dignitatem tuam magnifice Rector, conspectum vestrum Profes-


sores, quem semper maximi feci, et omnium denique Vestrum ora atque oculos in me conversos sustinere possem; demandatum mihi munus declinare statuebam. Nam quum animo reputarem quot et quantorum virorum vocibus idem hic locus quotannis personuerit, quanta cum laude et gloria tam erudiendæ quam hac die alloquendæ juventuti incubuerint illi, qui omni eruditionis genere exornati etiamnum docent, mihi prudentis viri visum est, ab opere tantæ dignitatis tantique ponderis prorsus abstinere, neque sinere, ut ab illo silentio quo eram omnibus vitæ meæ temporibus usus, evocarer.

Sperabam interea fore ut mihi silentium meum ignosceretur animo revolvens, poëtarum principem *Mutam artem* appellasse *artem medicam*, Celsumque monere, *morbos non eloquentia sed remediis curari*. Quum præterea haud ignarus essem proverbii illius Græci, *medicum loquacem morbo pejorem esse*, mihi quodammodo videbar vobis non defuturus, si me potius genuinum *Mutæ artis* adeptum præstiterim, quam si incomto sermone vobis molestus gravisque evaserim.

Ita dies et menses labebantur, jam extremam academicus annus metam attingere videbatur, et quum

diei hujus adventantis jam jam affulgeret splendor, demandati mihi officii specimen academica exigebat Auctoritas. Tum vero quasi ex somno excitatus, quam læva mihi mens esset, quam parum fido Nephenthe curas meas sopirem cognovi: cognovi scilicet mihi nequaquam ab illa celeberrimæ hujus Academiae consuetudine, a primis ejus incunabulis religiosa quadam observatione usurpata, aliquid hacce die in medium proferendi, decedere licere, et aleam hanc, quocunque res esset casura, mihi subire necesse esse: quare malui loquendo judicii Vestri benignitatem, quæ nunquam mihi defuit, quam tacendo censuram experiri.

Quum igitur in eo totus essem, omnesque mentis nervos intenderem ut dicendi argumentum exquirerem, hujus diei, quo Uuiversitas hæc nostra litteraria natalitia sua celebrare solet dignitati et amplitudini consonum, tandem visum est, res per hunc annum in Schola Chirurgica gestas, in commentarios redactas, in publicum proferre. Liceat itaque mihi benignitatem vestram atque indulgentiam huic breviori et succincto majorum conaminum specimini implorare.



CLINICUM ET POLICLINICUM


a 1-a die Augusti 1845, ad 1-am diem Junii 1846.

	ÆGRI.
Suscepti in Schola.	199.
In Policlinico curati.	890.

Operationes Chirurgicæ.


<p>Extractio cataractæ. 20.</p> <p>Reclinatio cataractæ 12.</p> <p>Pupillæ arte factæ 11.</p> <p>Chirurgia Entropii. 4.</p> <p style="padding-left: 2em;">» Trichiasis 9.</p> <p>Incisio sacci lacrymalis. 2.</p>		<p>Excisio pterygii. 2</p> <p style="padding-left: 2em;">» staphylomatis. 2.</p> <p style="padding-left: 2em;">» polypi conjunctivæ palpebralis. 1.</p> <p>Chirurgia strabismi. 1.</p> <p>Extirpatio oculi. 1.</p>
<p>Extirpatio parotidis. 1.</p> <p style="padding-left: 2em;">» sarcomatis ex parotide. . . 1.</p> <p style="padding-left: 2em;">» sarcomatis ex fossa canina. 1.</p> <p>Extirpatio ossis maxillaris supe-</p> <p style="padding-left: 2em;">rioris sinistri. 1.</p> <p style="padding-left: 2em;">» tumorum cysticorum. . . 16.</p> <p style="padding-left: 2em;">» polyporum nasi. 3.</p> <p style="padding-left: 2em;">» lobuli auris 1.</p> <p style="padding-left: 2em;">» polypi meatus auditorii . . 1.</p> <p style="padding-left: 2em;">Excisio canceri labii inferioris,</p> <p>cum simplici excisione. 3.</p> <p style="padding-left: 2em;">» excisione et labrorrhaphia. . 3.</p> <p style="padding-left: 2em;">» sectione transversa buccarum. 4.</p> <p style="padding-left: 2em;">» chiloplastica Dieffenbachiana. 5.</p> <p style="padding-left: 2em;">» resectione eminentiæ mentalis. 1</p> <p style="padding-left: 2em;">» resectione mandibulæ 2.</p> <p>Infibulatio ranulæ 3.</p>		<p>Excisio tonsillarum. 2.</p> <p>Excisio mammæ canceraticæ. . . 1.</p> <p style="padding-left: 2em;">» lipomatis 30 librarum . . 2.</p> <p>Herniotomiæ 2.</p> <p>Cystotomiæ : . . . 5.</p> <p>Acupunctura hydroceles 3.</p> <p>Sectio hydroceles. 1.</p> <p>Phimosi. 1.</p> <p>Fistulæ ani. 3.</p> <p style="padding-left: 2em;">Amputatio.</p> <p style="padding-left: 4em;">» femoris 4.</p> <p style="padding-left: 4em;">» humeri 3.</p> <p style="padding-left: 4em;">» cruris. 1.</p> <p style="padding-left: 4em;">» digitorum. 3.</p> <p>Resectio articuli cubiti. 1.</p> <p>Extirpatio totius calcanei necrotici. 1.</p>

VULNERA.



VULNERA.

De curatione vulneribus adhibita, generatim.



Vulnerum curationem, omnium antiquissimam constituere Medicinæ partem, notum est: quum enim homines nondum intra urbes et oppida conclusi, per agros palantes ævum transigerent, «*Medicina*, monente Seneca, «*paucarum fuit scientia herbarum, quibus fluens sistetur sanguis, vulnera coirent paulatim*». Nihilominus tamen, nondum constare inter medentes videtur, qualis in vulneribus curandis, omnium optima methodus sit habenda. Videre scilicet subinde Nosocomia contingit, ubi vulnera unguentis et balsamis nutrita, quodammodo gemunt, nunquam inde sinceram, sed fœdam plerumque et luridam faciem praeseferunt, et cicatricem non nisi ægre recipiunt: alias, Nosocomia

contigit adire, ubi vulnera glaciale frigore oppressa, quodammodo algent; hic siccis vulnera foventur, illic humentibus; hic ab aëre quam curiosissime protecta, illic aëri patentia fere relinquuntur; hic deligatio sæpissime, illic rarissime renovatur; hic vulnerum prompta conglutinatio peroptatur, illic timetur; hic res vulneribus superimponuntur, quæ manantes humores quam facillime absorbent, illic vero res, quæ nullam prorsus absorbendi vim habent ¹.

Ex hacce brevi discordantium opinionum enumeratione, facile intelligitur, nondum perpetuas in re tam antiqua tamque communi, extare leges. Extiterunt quidem, in quovis fere seculo cordati in arte viri, qui hoc argumentum, in arte chirurgica profecto gravissimum, viriliter aggressi, ad meliorem et certam tandem praxin perducere medentes allaborarunt, quales duobus adhinc seculis fuerunt, *Cæsar Magatus* in spectabilissimo illo opere de rara vulnerum medicatione ²; *Nannoni*, in opere de simplicitate in curandis vulneribus ³; tandem, non ita pridem, gravissimus ille chi-

¹ Major, *Excentricités chirurgicales*. Paris 1844, pag. 97. *Des pensements impérméables*.

² Cæsaris Magati, *De rara medicatione vulnerum, seu de vulneribus raro tractandis*. Venetiis 1616.—Opus sane gravissimum et absolutissimum, cujus auctoris nomen, in opere Rustii, *Handbuch der Chirurgie*, omissum fuisse, miror. Vid. Vol. 12.

³ Nannoni, *Della semplicità di medicare i mali attinenti alla Chirurgia*. Firenze. 1761.

rurgiæ professor *Kernius* ¹ qui tam laudabili quam non communi fere audacia, empiricam anteaactorum temporum praxin funditus evertere et commutare annisus est, et gravibus tum argumentis tum exemplis ostendit atque comprobavit, remedium omnium optimum in curatione vulnerum, non ex pharmacopolarum thecis esse expromendum, sed ultro se nobis, ubique terrarum, ex benefico naturæ sinu paratum præbere, illudque præsidium esse in aqua vel frigida, vel tepente, positum.

Nullum fere hocce majorem, per hoc seculum in chirurgica therapia factum fuisse progressum pene dixerim, et nostra ætate, jam antiquatam et penitus confectam, unguentorum, balsamorum, emplastrorum, in vulnerum curatione haberi posse quæstionem crediderim, perventumque prope esse, in hacce gravissima medicinæ provincia, ad simplicitatem illam, quæ jamdudum erat exoptanda, et quæ cujuslibet optimæ curationis certissimum quodammodo est documentum. Quodsi quædam hucusque tamen, ut supra monuimus, extant inter artifices, imo inter nationes differentiæ, hæc fere præteritorum temporum sunt quodammodo reliquiæ, non diu, ut sperare licet, duraturæ.

¹ *Avis aux chirurgiens pour les engager à accepter et à introduire une methode plus simple, plus naturelle et moins dispendieuse dans le pensément des blessés. Vienne 1809.* Opusculum parvum quidem sed aureolum, quidquid scripserit contra illud celeberrimus Zang: *Würdigung der von dem Professor Kern in Vorschlag gebrachten neuen Methode Wunden zu behandeln, von Prof. Zang, Wien 1810.*

Si quam igitur circa argumentum istud quæstionem agitare nostris temporibus licet, hæc profecto illa est, utrum scilicet ad vulnera fomentorum gelidorum usus revera tam sit necessarius et utilis, quam passim creditur: invaluit enim adeo istiusmodi usus, ut fere vulneris curatio a glacie dissociari vix amplius posse videatur.

Aquam frigidam per annos fere quinque recentibus vulneribus semper fere adhibuimus, ab annis vero totidem, prorsus non adhibemus: collatisque utriusque curationis eventibus, hoc nobis jam est confirmatum, frigidam plerumque nequaquam esse necessariam; citra frigidam, vulnera peroptime, mutua celeri conglutinatione confervescere; omnino non nimis inflammari; totam curationem non perturbatam, celerius procedere: cum frigida vero, curationem tum magis dolorificam esse, tum dubio procul ipsis tam ægris quam curantibus, magis incommodam evadere: frigida denique fomenta apte admovere, rem esse perarduam, imo sæpius, potissimum in corporis partibus inæqualibus atque declivibus, fere impossibilem.

In has frigidam admovendi difficultates, me implicitum potissimum vidi, in curatione vulnerum post resectam maxillam, post restauratum per insitionem labium inferius: frigida scilicet fomenta, in summa colli parte apte admovere vix unquam succedebat; ubi mento apte admovebantur, inframaxillari regioni, ut oportuisset, admoveri non poterant: a spleniis humentibus, pectus

quoque humidum fiebat, indeque sæpissime tussis movebatur, curationi summopere incommoda; splenia ex gelida expressa, mox calefiebant; ex frequenti spleniorum renovatione quies ægris surripiebatur, somno defraudabantur. Quarum difficultatum tandem pertæsus, jam chiloplastices casum absque frigida usu curare, sed cum magno timore improsperi eventus suscepi; adeo alte scilicet menti insiderat opinio utilitatis, imo necessitatis laudatissimi illius præsidii. Curationis autem eventus voto, imo supra votum respondit: quod, quum in ulterioribus quoque experimentis contigisset, jam ex praxi clinica glaciem si non prorsus ejeci, certe plurimum ejus usum circumscripsi.

Absque unguentis igitur et absque frigida, vulnera tam cultro chirurgico inflictæ, quam forte excepta, curavimus; vel potius vulnera prorsus non curavimus, sed dumtaxat protegebamus: totum enim vulnerum sanationis opus, profecto natura, nequaquam medicus perficit, cujus unicum officium est vulnera protegendi, et quidquid naturæ laborem interturbare forte posset, scite antevertendi ¹. Si itaque vulnera non curabantur

¹ Mirari subit, adeo compositam apud veteres medicos fuisse vulnerum curationem, quam *Celsus* jam pulchre his verbis expressit: «*licetque sine peregrinis, et conquisitis, et compositis medicamentis vulnus curare*». Lib. 5, et *Galenus* quum hæc dicat: «*Sive ulcera (vulnera) simplicia sint, sive cum cavitate, si quis diligenter æstimet, ex fugiendis, prospiciendisque iis, quæ naturæ officiant, sanatio perficitur*» *Gal: lib. 4.* — Similiter *Paracelsus* «*Primum igitur, Mumiam (calidum insitum, vis vitalis) fore scito,*

jam tenendum est, quomodo fuerint protecta, et quale illis aptissimum tegumentum habitum fuerit.

Præcipuum vulnerum protectionis adminiculum quietem esse, et rectam ægri victus, et vitæ rationem, quisque intelligit: ad tegumentum vero quod spectat, ceteris præstat, molle, quod æquabilem semper teporem foveat, vulneris oris non adhæreat, et de vulnere facile detrahi possit: huic scopo, linteum vetustum, excerptum, vel potissimum tomentosum anglicum (*lint, charpie anglaise*) ex aqua expressum, vulnere superimpositum, et tenuissimo strato impermeabili * contectum, quod obstet, quominus humens illud linteum arescat, omnium optimum ad vulnerata et exulcerata loca tegmen habuimus. Fovendo vero tepori, et æquabili temperaturæ servandæ, gossy-

«*quæ omnia vulnera curat. Dico naturam corporis offensam, aut læsam, propriam in se continere sanationem, prout in arbore tenella vidimus fieri, quæ saucia, per se, Mumiaque propria curatur, et concluditur: hoc ipsum etiam accidit in hominibus Volo curam eorum (vulnerum) per naturæ mumiam fieri, tum quod superponetur medicamentum, incarnativum nullo modo vocari, sed bene conservativum.*»

* Majoris momenti est in vulnerum deligatione stratum hoc impermeabile, apud anglos usitatissimum, per quod fit ut carbasa non arescant, ideoque oris vulnerum non adhærescant. Loco serici impermeabilis, *oiled silk* Anglorum, pretii majoris, sparadrap tenuissimum, vel impermeabile illud linum oleo siccativo paratum, nuper a Mayor propositum, adhiberi posset. Vide Mayor op. cit.

pium * quidem perquam opportunum se præbuit, eoque, in hunc finem tantum, non vero absorbendis humoribus, (qua facultate gossypium caret) sæpissime usi sumus: ei quandam quodammodo anodynâ facultatem inesse, credere fere liceret; plerumque enim, imposito gossypio vidimus, vulnera etiam gravissima, post unam alteramve horam, vel mitissimos, vel nullos prorsus dolores edidisse.

In vulneribus, quorum oræ committi debebant, nodosam suturam, plerumque, injecimus. Ubi a sutura abstineri poterat, emplastrum adhæsivum non adhibuimus, sed *lintheum adhæsivum*, (*Liston*) quod, et longe tenacius adhaeret, et cutem non irritat, et minoris pretii est, et a phlebotomis clinicis præparari potest.

Deligatio potius raro quam frequenter renovabatur; vulnera vero suppurantia nunquam abluebantur; oræ tantum vulneris, ab adhærente pure, mundabantur.

Ad reprimendas carunculas forte nimis eminentes, vel crystallus cuprea, vel lapis infernalis adhibebantur.

* De quo tegumento legi debet Cap. Magati XXXV *de officio medici in curatione vulnerum et de qualitate tegumenti*, in quo videre est, gossypium jam tum fuisse usurpatum, neque novum esse ad vulnera auxilium. «*Ceterum, reliquis interim omissis, de tegumento quod naturalem calorem conservat, roborat, et in quo præcipue consistit noster curandi modus, agamus. Elegans medicus tegumentum aptum facile parabit ex duplicato, triplicato, vel pluries etiam plicato lintheo; modo etiam ex tenui stupa, vel molli lana aut gossypio confectis spleniis vel pulvillis, tantæ vero latitudinis, ac longitudinis, ut de parte sana non parum comprehendat*».

Eadem fere fuit ratio qua cum vulneribus egimus, sive recte procederent, sive ægrotarent, ea tantum differentia, quod ubi vulnera ægrotassent, jam ars accedere debuerit. Aegrotare vero vulnera plerumque vidimus ab universa corporis conditione, non a morbo in illis hærente. Quare, topica vulneribus remedia vix unquam alia adhibuimus, quam hirudines et cataplasmata emollientia, remedia summæ efficacitatis in casu nimii congestus ad vulnus. In ceteris vero casibus, ubi pus vel malum vel nullum secernebatur, non vulnus sed corpus curavimus. Ad bonum pus igitur ex vulneribus elicendum, illa balsamo peruviano, Arcæi, myrrha etc. nutrire, vix unquam proficere posse credidimus.

Vulneribus neglectis, et propter chronicitatem in callosum ulcus degeneratis, emplastrum cantharidum identidem superdatum, proficere plerumque vidimus.

Hæc fere sunt ad vulnerum curationem generatim spectantia, quæ nos præmittere debere credidimus, ne in expositione curationis singulorum vulneris casuum, tam manu chirurgica quam casu inflictorum, eadem tædiose reiterari deberent. Summatim vero hæc tanquam generalia, in vulnerum curatione a nobis conservata dogmata referre liceat.

1. Vulnera non curabantur, sed tantum protegebantur.
2. Protegebantur quiete, tegmine faciliter recipiendo, aqua humente, quod non siccesceret.
3. Partis vulneratæ tepor quam maxime æquabilis, gossypio fovebatur.

4. Vulnera nunquam abluebantur, raro religabantur.

5. Vulneribus forte inflammatis hirudines et cataplasmata emollientia fere unica fuerunt auxilia.

6. In vulneribus ad sanationem non accedentibus, plerumque toto corpori, non vulneri, prospectum est.

CASUS VULNERUM GRAVIORES.

Ex quadraginta casibus vulnerum qui obvenerunt, vulnera vix habuimus quæ gravissima fuissent, præter unum cubiti a tormento ignivomo illatum, quod amputationem humeri postulavit, et alia duo digitorum, quos a machina dilaceratos, præcidi oportuit. Feminae quinque tantum, ceteri vero vulnerati omnes mares fuerunt. Missis vulneribus quæ nil effatu dignum præbuerunt, operæ pretium erit, ea tantum memorare, quæ vel graviora fuerunt, vel minus communia.

VULNERA CAPITIS ET THORACIS.

Vulnus in fronte, contusum. — Puerulus bimus, pridie quam in Clinicum delatus esset, obversum caput in acutam lectuli crepidinem tam vehementer impigerat, ut frontis cutem, paulo infra tuberositatem dextram, illaeso osse, vulneraret, plaga unius fere pollicis, transversa, quidquam hiante, jam aliquantum inflammata. Cerebralia symptomata, neque prius, neque modo dabantur, nonnullus tantum fere aderat abnormis carniæ calor. — Hirudines sex in ambitu vulneris affigebantur, cataplasma emolliens superdabatur, aliquo-

ties per curationis decursum, dosis una alterave calomelani data est. Plaga recte et mediocriter suppuravit, et circa vigesimum diem, nulla, ut videbatur, relicta noxa, cicatricem recepit. Sed quinto circiter mense, ex quo restitutus puer fuerat, ad nos iterum allatus est, quippe qui ab uno mense vacillare ceperat, et erectum stare amplius nequibat, resolutis artubus inferioribus. Subjecta cicatrici ossa non dolabant, nilque abnorme præbere videbantur.—An melius ab arnicæ usu, quam præscripsimus, habuerit æger, nescimus, parentes enim, reportato consilio, rursus non accesserunt. (PC)*.

Vulnus in occipite cæsum; in fronte contusum. — Oenophorus, in cellam vinariam descendens, quum cecidisset, duas, in cute capitis contraxit plagas duorum fere pollicum, alteram in summa fronte, alteram in occipite, utramque cum brevi panno: illa a fragmento vitri inflicta, caesa erat, hæc inflicta a lapide, contusa.—Oræ vulneris tæniis adhæsivis committebantur, vulnera protegebantur, vena secabatur, sulphas sodæ exhibitum est, jussusque est æger sublimi capite curbare. Plaga in occipite, (cæsa) prorsus sine pure coaluit, quæ vero in fronte erat, aliquantum succendebatur cum circumpositæ cutis rubore, et nonnullo palpebrarum œdemate. Admotis semel hirudinibus, superdatisque assidue cataplasmatibus emollientibus, et expresso quoti-

* *Polyclinicum.*

die diligenter pure, vulnere inducta cicatrix jam fuerat circa diem decimum quintum. — Casum propterea retuli, quod sine glacie, capitis vulnus curabatur.

Labium superius vulnere fissum;—labium inferius a mento divulsum.—Labi superioris, fere in medio, plaga recente fissi, duos casus habuimus: in utroque, tribus suturis nodosis injectis, (quarum inferiore in ipso prolabio), unitas apprime restituta jam erat tertia die, qua stamina recepimus. — Adfuit quoque casus divulsi, fere sine externo vulnere, labii inferioris a mento, quam noxam æger cadendo contraxerat. (PC).

Vulnus lacerum palati duri. — Juvenis fumo nicotianae indulgens, pinna extremæ fistulae, per quam fumus hauritur, forte palatum durum sibi vulneravit, plagis duabus laceris, in longitudinem excurrentibus: palati os erat nudum, oræ vulneris tumebant, graviter dolebant, nec nisi lente admodum cicatricem receperunt. Aegro nil amplius suasimus nisi os tepente aqua fovere, tacere, cibis mollioribus uti. (PC).

Vulnus palati mollis et faucium — Puerulus annos quinque natus, ceteroquin sanus, pridie ejus diei, quo erat allatus, baculum acutum ore gerens, forte cecidit pronus, acutumque baculi finem, transfosso palato molli, alte adeo in sinistram faucium latus impegit, ut, referente matre, infictus baculus extantem retro maxillæ angulum reddiderit cutem, nec nisi adhibita quadam vi, ex vulnere recipi potuerit. Palatum molle, qua parte ossi jungitur, sinistrorsum, vulnus referebat dimidii

fere pollicis, lacerum, jam inflammatum: externe tumebat quoque aliquantum locus post maxillam, eoque compresso dolor gravis movebatur.

Loco dolenti decem hirudines affigere, cataplasma emolliens superdare, silere, lacte vesci, aqua tepenti os fovere, alvum sæpius solvere, jussimus. — Aeger sine noxa sospes evasit, eumque sanum, etiam quartum post mensem, vidimus. (PC).

Vulnus sclopetarium in pariete thoracis.—In pariete anteriori thoracis, vix duobus transversis digitis infra claviculam dextram, medio fere loco inter utrumque ejus finem, juvenis quidam nobilis forte vulnus a glande plumbea sclopeti minoris acceperat, vigesima secunda Februarii an. 1846.—Glans, subter carnes musculi pectoralis prius rectum iter, inferne sursum ad claviculam usque, (quam nudam specillum deprehendebat); dein verolimam claviculæ oram legens, iter transversum sequuta erat, et in medio sterni manubrio substiterat.—Vulnus inflammationem concepit cum febre acuta, quæ venæsectionem desideravit: sub assiduo autem cataplasmatum usu, multum optimi puris, quod diligenter ex longo vulneris itinere exprimebamus, reddidit. Vigesimaliter circa diem apostema, quod sensim sensimque ad sterni manubrium erat subortum, jam valde eminentis et maturum, late incidimus, alteraque die glandem plumbeam, circa incisionis oras haerentem, nullo labore excussimus. Tum quotidie parcior puris proventus evasit, et circa trigesimum quintum diem, utrumque vulnus,

sed illud prius, per quod glans fuerat recepta, concretum. Vix autem cicatrix utrique vulneri inducta fuerat, quod cutis paulo deorsum, circa tertiam costam, nonnihil ruberet, cum aliquo dolore et fluctuatione: puri sub cute in ea declivi sede congesto, parva plaga exitum paravimus, paucosque post dies, ille quoque sinus consanuit.

Glans plumbea sphaericam adhuc figuram referebat; sed in uno latere, quo scilicet in claviculam impegerat, alte erat impressa, impressione concava, lucida, fere striata, perinde omnino ac si scalpro lunato pars glandis fuisset excisa.—Hujusmodi figura glandis plumbeæ, opinionem a *Pigné* emissam comprobare videtur ¹.

VULNERA EXTREMITATUM.

Vulnus cubiti sclopetarium, gravissimum. — Amputatio humeri panniculata, fausto eventu. — Incaute venanti viro nondum tricenario, gracili, arma ignivoma, cui erat innixus, forte explosa, sinistrum cubitum prope

¹ Mr. Damarquay présente le crâne d'une jeune fille qui a reçu un coup de pistolet à la tête. Mr. *Pigné* rappelle que, d'après l'opinion par lui émise, les balles qui frappent un corps s'aplatissent, ou se creusent dans un sens, tandis qu'elles s'arrondissent dans l'autre; et que, c'est toujours la partie concave, qui a d'abord rencontré le plan solide; il trouve dans la balle qui accompagne la pièce de M. Demarquay une nouvelle preuve à l'appui de son opinion; car à la face concave de cette balle est incrusté une portion d'os. *Bulletin de la Société anatomique de Paris*. 1844, p. 297.

articulum dire vulneravit, cute ambusta, carnibus transfossis, dilaniatis, ossibus confractis. Pendulo, et sanguinem perdente artu, acerbos inter dolores, ex suburbio confestim in scholam aeger translatus est, ubi sine mora humerum, medio fere loco, pannis duobus ei praecidimus. Arteriis tribus stamine ligatis, silente jam sanguine, oras vulneris suturis nodosis conneximus, vulnusque gossypio et continente fascia proteximus. Mox post chirurgiam semel et iterum fere defectioni proximus aeger fuit; per diem subinde dormivit, comode habuit, non sine quodam tamen vulneris dolore: circa vespertas vero, quum justo magis cruenta essent splenia, et sanguis guttatim stillaret, deligationem solvere necesse fuit, vulnusque receptis suturis iterum patefacere. Cruoris concreti haud parum subter pannos haerebat; eo absterso, et non sine quodam labore detecta et ligata arteriola exilissima, ex qua sanguis manabat, oras vulneris rursus diligentissime, non suturis, sed, (ut doloribus parceretur), taeniis tantum glutinantibus, adunavimus. Tum conquievit aeger, et dolorum expers bonam partem noctis dormivit: postridie febricula invasit, quae die quarta, calore et arteriarum motu ad normam recedentibus, prorsus recessit. Quum omnia peroptime procederent, nihilque superveniret, quod vel parum terreret, deligationem undecima dumtaxat die recepimus, pannosque apprime adglutinatos invenimus: supererat tantum summa vulneris ora, quae latiuscula, (suturas enim non adhibui-

mus, sed glutinantes tænias) nondum prorsus cicatricem conceperat. Decima septima vero die, cicatrice jam confirmata, discessit aeger, pro cuius curatione, præter aliquot doses sodæ sulphuricæ, et balnea aliquot, nil adhibitum est. Curatio profecto ex faustioribus fuit, eo tamen peccavit, quod vulnus propter stillantem sanguinem diduci vespere primæ diei debuerit, id enim fieri vix unquam potest quin dolores moveantur, vulnusque vexetur.

Vulnera manuum.—Plura in manibus digitisque præsto fuerunt vulnera, tam caesa quam lacera, inter quæ, graviora hæc fere sunt.

Manus fuso transfossa.—Plebeja, fila fuso torquens, quum felem quæ forte carnem ex tugurio furabatur esset insequuta, fusi extenuatum manubriulum sibi in palmam manus dextræ tam vehementer impegerat, ut manui hinc et hinc transfossæ, fusus inhæserit. Stylo ligneo adhuc hærente, in scholam, altero die se mulier contulit, manu valde tumente et inflammata.—Stylum, qua parte in palmam penetraverat, extraximus, multas manui hirudines affiximus, eam cataplasmate fovimus. Pus multum, prima hebdomade, vulnera evomuerunt, secunda vero exeunte, phlogosi jam extincta, sub usu maniluvii longissimæ moræ, absque superstite noxa concreverunt. (PC).

Extremus index digitus laceratus.—Operarius, in gossypino opificio extremam phalangem indicis dextri, tam vehementer machina vulneravit, ut unguis prorsus

fere esset divulsus, os fere nudum prostaret, carnes lacinosæ propenderent. Primo intuitu, excidendam esse phalangem dixeris; tamen, ne mutilus fieret digitus, operam dedimus ut carnes illæ propendentes colligeremus; eas supra phalangem tenuissimis staminibus adunavimus, et digito ita sarto, et quantum licuit instaurato, habenulas adhæsivi serici superdedimus, ut tanquam in theca quadam esset inclusus, timore potius futuræ gangrænæ, quam spe sanationis. Res tamen ex voto, imo supra votum successit; laciniæ enim partim sine pure, partim suppurando egregie concreverunt, ita quidem, ut, et figura, et actiones digito restituerentur: loco pristini, novus unguis succrevit:

Vulnus digiti annularis, medii, et indicis—Amputatio.—Gravior fuit casus operarii, qui vulnus item in gossypino opificio, ex machina in vorticem acta, in manu sustinuit: hujus scilicet ejusmodi erat læsio, ut digitum annularem et medium contritos, in media phalange prima amputare deberemus: digiti vero indicis ruptus erat articulus secundus, ex quo capitulum phalangis primæ contritum extabat. Extantem phalangis partem forcipibus Listonianis præcisimus, et digitum subjectæ ferulæ alligavimus. Sanatio utriusque amputati digiti celeriter, fere omnino citra puris generationem, obtinuit: vulnus vero digiti indicis, cujus articulum rese-cuimus, per carniū generationem coaluit, circa finem tertiæ hebdomodis.

In illo internodio, primis mensibus, motus fere nullus aderat, sequentibus vero, mobilitas quædam restituta est, atque ex integritate illius digiti, multum beneficii æger percepit.

Dactylosmileusis fortuita. — Præcisum a tribus diebus, in media phalange secunda indicem sinistrum habebat villicus, qui illam calamitatem ligna secando subierat. Plaga erat apprime cæsa, tanquam arte facta fuisset; tumebant aliquantum circumcirca margines, os sine fragmentis præcisum, non extabat. — Maniluviiis et humentibus spleniis vulnus ad cicatricem perducere, ægro scholam ambulando visitanti suasimus. (PC).

Vulnus neglectum, in ulcus chronicum degeneratum. — Adolescens villicus, ex equo in lapidem lapsus, mox supra patellam in dextro femore vulnus accepit, cute inferne sursum ad palmæ magnitudinem divulsa. Vulnus neglectum, et hians relictum, in ulcus degeneravit siccum, callosum, nil omnino cicatrici recipiendæ aptum — Hunc, quum tertium post mensem accessisset, extenso crure cubare jussimus, ulceri vesicatorium semel et iterum superdedimus, cataplasmate emollienti illud assidue fovimus. Circa secundam hebdomadem, moveri pus ex carunculis cœpit, mollitis jam aliquantum ulceris oris; circa quartam, dimidio minus latum erat ulcus; sexta, extemplo erysipelas cum febre, quod ad malleolos usque tetendit, ulcus invasit. — Exeunte secundo mense, tactis sæpius lapide infernali carunculis, et injecta genu fascia semper humente, ulcus ad cicatricem pervenit.

Vulnus lacerum gravissimum poplitis.— Gravissime ab ictu calcis equi, in poplite sinistro excepto, laboravit adolescens annos natus quindecim, qui prima die septembris anni 1845, altera morbi, in scholam translatus est. Tota fossa poplitea prostabat nuda, imo aliquantum laceratum visebatur, internum caput musculi gastrocnemii, et nudus quoque nervus peroneus cum tendine bicipitis. Magnus cutis pannus contusus, lacerus, ex toto poplite divulsus, superne tantum hærebat, calcis enim ictus inferne sursum illatus fuerat: vulnus lunatam fere figuram, eam scilicet calcis quo infligebatur, referebat.


Pannum cutaneum subjecto vulnere, quam potuimus, aptare studuimus; vulnus humentibus spleniis et continenti fascia proteximus, et ægrum tanquam graviter vulneratum curavimus. — Magnæ febres, et gravissima femoris inflammatio ab hoc vulnere movebantur, magnam vim puris vulnus emisit, et profundus quoque in medio femore extrorsum abscessus subortus est, quem circa decimam morbi diem, in medio musculo bicipite, magna plaga, incidere debuimus. Interea puer, tum feбри acuta et assidua, quæ scilicet per duas fere hebdomades tenuit, tum doloribus quibus vexabatur, tum magna quoque puris jactura valde extenuabatur, adeoque graviter habebat, ut fere ancipites de futuro essemus eventu. — Frangendæ phlogosi, jam primis diebus ter hirudines admovimus, cataplasmata assidue superdedimus, pus tam

ex plaga deorsum, quam ex facta sursum incisione, quotidie expressimus, balneisque longissimæ moræ uti, ægro injunximus. His auxiliis, et usu quoque chinæ, tandem æger gravissimo ex malo sospes evasit. Fracta jam quum fuerat phlogosis, quumque vulnus ad cicatricem jam spectaret, opera data est, ut cicatrix extenso per subjectam ferulam crure, vulneri induceretur, ne genu contractum evaderet; res auspicato contigit.

Vulnus plantæ pedis, grave.—Neque parum periclitata est femina quædam, annos sex supra quinquaginta nata, quæ acutum ligni fragmentum in nudam plantam sinistri pedis, parum infra hallucis articulum, alte sibi infixerat. Huic casum perperam negligenti, paucos post dies, pes sauciatus summopere intumuit, et abscessionem fecit, quin tamen pus, propter callosi corii duritiem, prorumperet. Doloribus discrucitata, ægra post mensem passa est, ut plebejus quidam, oppido sagax, novacula cutem in planta incideret, eoque, tam puri exitum pararet, quam hærentem adhuc spinam eximeret. Id contulit quidem ad mitigandam dolorum atrocitatem, et levandum aliquanto malum, nequaquam vero ex asse tollendum: nam, jam chronicus pedis tumor perstitit, per sinuosum ulcus multa vis mali puris assidue emanavit, neque vel parum eo crure insistere mulier potuit. Interea, inordinatæ febres aderant, somnus deerat, et in pedis quoque dorso purulentus tumor subortus est. Tunc ægra jam malis nimium conflictata, se in scholam transferri curavit, duobus scilicet jam elapsis mensibus

ex quo pedem vulneraverat. — Cubatio assidua sublimi crure, cataplasmata emollientia, litus mercurialis, sulphas sodæ, auxilia fuerunt quæ per mensem circiter adhibita, chronicam phlogosin extinguere, et artum suis actionibus restituere tandem potuerunt.


Fragmentum vitreum sub cute per mensem hærens. — Rarum fragmenti vitrei subter cutem per mensem innocue hærentis, exemplum præbuit plebeja fere quinquagenaria: hæc scilicet, in dorsum pedis dextri, paulo infra flexuram, ex fracta, quæ humi rejecta jacebat lagena, forte vulnusculum accepit, super quod femina agaricum deligavit. Primis diebus paulisper dolebat sauciatus locus, detracta vero deligatione, femina conglutinatum invenit plagam, nil ideo mali suspicata est, suisque se iterum muneribus dedit. Trigesima tertia vero ex quo vulnerata est die, quum pungentem ad vulnus dolorem persensisset ægra, illudque aliquantum rubere animadvertisset, in scholam se recepit. — Mali sedem inspectantes, cicatrici subesse durum aliquod corpus intelleximus: incisa igitur cute, vitreum fragmentum obliquiter in pedis flexura latens, pollice fere longum, semipollice latum, in cuspidem acutam excurrens, volsella excepimus. — Plaga extrahendo fragmento incisa, moto pure, post hebdomadem sanationem recepit.



FRACTA.



FRACTA.



Inter fracturas quas curavimus, memorandae potissimum sunt duæ cranii et una femoris quæ mortiferæ fuerunt; una cruris comminuta, quæ amputationem desideravit; una humeri, quæ etsi gravissima, mirifica celeritate sanationem recepit; una tandem radii et ulnæ, ex causa, ut ajunt, directa, quæ in sextum usque mensem nondum firmum callum conceperat. Reliquæ fracture prope omnes, simplices fuerunt, neque notatu dignum aliquid obtulerunt.

FRACTURÆ CRANII.

«Ubi percussa calvaria est, protinus requirendum est, num bilem is homo vomuerit; num oculi ejus obcaecati sint; num obmutuerit; num per nares auresve sanguis effluerit; num conciderit; num sine sensu quasi dormiens jacuerit. Haec enim non nisi osse fracto eveniunt.

Celsus Lib: VIII, Cap. IV.

Mors a fissura basis cranii. Adolescens, quintum decimum annum agens, alienum currum ascenderat, et

arreptis loris equos incitare ausus fuerat. Mox equi inexpertum rectorem per urbem sine lege trahentes, everso curru, excussum impetu puerum, in via sine sensu jacentem reliquerunt. Huic semianimi in scholam mox deportato, ex auribus, ore, et naribus sanguis stillabat: ceteroquin nullam externam læsionem graviolem offerebat puer, profundo oppressus somno videbatur, naturaliter respirabat, pulsus quoque naturaliter fere micabat. Ubi palpebræ diducebantur, oculos in orbem torquebat, iris mobilis erat, pupilla naturalis. Ea die et altera, tanquam dormiens, tranquillissime jacuit, ab adhibito tantum stimulo gemens. Ad vesperam vero secundæ diei, jactitari cœpit, brachia inconcinne tum deorsum tum sursum movebat, caput scalpebat, admota fomenta frigida rejicere velle videbatur, affixis cucurbitis gemebat, manibus in pugnum convolutis, modo abdomen, plerumque obscœna conterebat. — Tertia die mane, respiratio stertorosa facta est, pulsus præcipientes evaserunt, circa meridiem periit.

Autopsia. Temporalis musculus dexter erat contusus et ecchymoticus; pars cartilaginea meatus auditorii ejusdem lateris, ab ossea, parumper diducta visebatur. Ex meatu osseo duæ proficiscebantur rimæ, altera postrosum et sursum ascendens, squamosam ossis temporum partem a mastoidea separans, per medium os parietale ad suturam usque sagittalem ferebatur; altera vero rima, ex meatu auditorio, per fossam cranii mediam transcurrerebat, sellam turcicam transversim dividebat,

ad caroticum foramen sistebatur, ab illo vero foramine, latus sinistrum corporis sphenoidi legens, per ophthalmicum foramen transgrediens, ad ipsam usque galli cristam procedebat. In cerebri superficie, sub dura meninge, aliquid concreti sanguinis hærebat: coagulus vero quidquam crassior, infra medium sinistrum cerebri lobum hærebat.

Fractura cranii lethalis — Autopsia. — Auriga prope tricenarius, curru in saxeam urbis viam, capite deorsum excussus, exanimis procubuit, et vix in Scholam, a civica militia deportatus, periit. In cranio secti cadaveris, squamosam partem ossis temporis, alam majorem ossis sphenoidi, proximam lateralem ossis frontalis partem invenimus comminutas et introrsum compulsas: dura tamen meninx integra erat, et integra quoque, sed cum osseis fragmentis e loco mota, arteria meningea: parum sanguinis, inter ossa confracta et meningem hærebat, sed cerebrum collapsum erat et molle, perinde ac in vehementiori ejus commotione vel contusione, solet inveniri. In opposito quoque cranii latere rima dabatur, quæ ab apophysi zygomatica ossis frontis, postrosum, in eminentiam parietalem usque, transcurrebat: alia etiam dabatur rima, in ipsa basi ossis occipitalis, quæ, ab incisura jugulari dextra incipiens, in mediam usque protuberantiam occipitalem procedebat.



CURATIO FRACTIS ADHIBITA, GENERATIM.

Fracturæ artuum simplices, more in Schola recepto, curabantur plerumque apparatusu Seuteniano: apparatus fractis, sine cunctatione superdare soliti sumus, etsi parumper membra fracta intumuerint; videre enim semper contigit, nil conferre magis, tum ad dolores mitigandos, tum quoque ad inflammationem antevertendam, quam ossa fracta, quam citissime componere, et in debita sede, admoto apparatusu, continere.—Aliter agendum esse cum fracturis jam inflammatis nimiumque tumebus, æque ac in iis, quibus juncta est quoque carniū laceratio, quisque intelligit.

Differt quodammodo a Seuteniano prototypo apparatus ille rigescens, quem jam dudum adhibemus: loco scilicet amyli, quo tæniæ induuntur, fractis tænias ex *linteo adhæsivo* paratas, in aquam calidam paulo ante immersas, ter quaterque superdamus, donec artus in thecam satis firmam, ita sit inclusus.

Multa quidem sunt, quæ *linteum adhæsivum*, in curatione fracturarum commendare videntur: *primum*, cito exsiccat, profecto multo citius quam apparatus *amyliatus*, imo, si vis, et ipse *dexterinatus*: *secundum*, semel præparatum, præsto semper est, perpetuo duraturum, et ut adhibeatur, immergi tantum in tepida debent tæniæ ex illo excisæ: — *tertium*, vilissimi est pretii, domesticae est præparationis, sic, ut in Schola fieri

soleat, phlebotomis hoc linteum egregie præparantibus ¹,—*quartum*, quam cito tam firmiter rigescit, incredibilem enim duritiem concipit: *quintum*, tandem chirurgi, in itinere, in bello, omnem fere ad curationem fracturarum necessariam præsto habebunt suppellectilem, ubi aliquot volumina linteï adhæsivi, quæ et parvæ sunt molis, et nullius fere ponderis, secum transportent.

FRACTURÆ ARTUUM SUPERIORUM.

In fracturis simplicioribus cubiti, potius quam rigescentem apparatus, cujus tum aptatio tum potissimum detractio aliquot chirurgo molestias facessere semper solent, simplicem ex charta densissima canalem adhibuimus: aliquando etiam loco chartæ ferulas ex corio soleari membris aptavimus, quæ scilicet in aqua molitæ et fractis aptatæ, citissime rigescendo, aptissimos canales conficiunt, tantæ fere duritiei quanta illa est apparatus Seuteniani. — In cubiti autem fractura, non cubitum tantum, sed manum quoque totam, et articulum humero-cubitalem in canalem conj-

¹ Formula pro præparatione linteï adhæsivi hæc est.

R. Collæ animalis purioris quantum vis.

Coq: cum aquæ suff: quant: ad solutionem, ut syrupi tenuioris speciem referat. Liquore adhuc calido illine, penicilli ope, linteum, quod bis aut ter iterabis.

S. Linteum adhæsivum. (Liston).

Wylie Pharmacopœia castrensis ruthenica. Editio quarta. Petropoli 1840. p. 729.

ciendum esse credidimus, ut harum partium immobilis unitas quodammodo fieret. Contigit enim videre, apud ægros cum primis parumper indociles, præpeditam calli formationem a concessa cubiti articulo et manui libertate, sub quarum partium vel levi motu, vix fieri potest quin fractorum fines, plus minus commoveantur.

In fractura extremi radii, vel extremæ ulnæ, cubitum et manum inter ferulas conjiciebamus, in latus, ossi fracto adversum, aliquantum inflexas, easque ferulas rigescentibus tæniis sua sede continebamus.

Theca gypsea. Semel quoque, fracto cubito gypsum superinfusimus, et saxeum ita canalem in quem membrum inclusimus, minuendo ponderi, extenuavimus: paucos post dies, quum jam optime haberet indocilis ægra apud quam illud curationis genus suscipere necesse vel volupe fuit, eam domum dimisimus. scholam identidem visitaturam: ægra vero paulo post ipsamet gypsum confregit, neque amplius scholam visitavit.

Ossa cubiti calce equi fracta, diu non conglutinata. Diu hæsimus dubii de eventu fracti circa medium cubiti dextri nobilis cujusdam viri, qui ruri habitans, Charcoviam profectus, prope urbem, ab ictu calcis equi eam fracturam excepit. — Huic in scholam, ut deligatio fieret, properanti, rigescentem, ex tæniis adhæsivis confectum, a medio humero, ad extremos usque digitos apparatus aptavimus, et quietem quam maximam, eo magis commendavimus, quod utrum-

que os esset fractum, et contra ulnæ fracturam parva daretur plaga. Aeger vero, majoribus ut ajebat negotiis distentus, vix admoto apparatu discessit, sibi non temperavit, sæpius in itinere quam domi fuit, et quum nullam sentiret molestiam, fere tanquam sanus, manum paucos post dies ab apparatu extricavit, literas scripsit. — Circa trigesimum diem ex quo apparatus injectus erat, primum æger ad nos reversus est, ruptorum a semetipso manus vinculorum quasi jactabundus. Tum vero, jam totum apparatus removens, fere nullam inter ossa fracta unitatem invenimus, cubitus in quamcumque partem in sede fracturæ ponderi cedebat, extrema fracta tuebant, et compressa dolebant. — Circa locum fractum hirudines affiximus, intus kali hydrojodicum dedimus, artum totum in canalem rigescentem denuo imposuimus. Callus vero diu cereus perstitit, neque osseam duritiem induit nisi circa sextum mensem ex quo fractura contigerat. Cubitus in latus ulnare incurvatus, supinatio et pronatio, magna ex parte præpeditæ remanserunt. æger enim identidem tantum, urbem et scholam clinicam adivit, sibi que ipsemet domi, nutu proprio, apparatus tum admovit, tum removit.

Humerus secunda vice fractus. Memoria profecto dignus fuit casus viri, cujus humerus dexter, quondam sclopetario vulnere fractus, nuper, iterum in sede prima, fracturam ab ictu passus est. — Operarius robusti corporis, annos natus quinque supra viginti, tres ante annos subita explosione sclopeti, cui innixus stabat,

in humero dextro, paulo infra medium, ita sauciatus est, ut carnes ex interna in externam partem, glomere plumbeo essent transfossæ, os vero humeri præfractum esset. Quum hanc calamitatem prope urbem *Sumi* sustinuisset, æger eadem die transferebatur in Nosocomium ejusdem urbis, ubi suscepta et felicissime absoluta est curatio, sine opera cultri. Ante finem secundi mensis, callo jam satis firmo, æger Nosocomium reliquit et *Charcoviam* reversus est, humero in sede fracturæ dumtaxat pleniore, et exigua copia puris ex inferiore vulneris hiatu nondum prorsus clauso, adhuc manante.

Jam vero, sextum post mensem, ex hiante eo sinu æger osseum fragmentum pollice circiter longum, extraxit, et insequente die *Clinicam* visitavit. Bina iterum ossea fragmenta crassiuscula tum ex humero recepimus, unguentum *Kali Hydrojodici* loco læso infricandum dedimus, ægerque paulo post prorsus convaleuit, inducta ulceri sinuoso cicatrice.

Per duos inde annos perfecte sanus operarius vixit, rudiora in postscenio theatri urbani munera explens; Decembri vero anni 1845 infeliciter contigit ut forte siparium præceps corrueret, et humerum theatralis famuli in loco pristinae læsionis iterum frangeret. — Gravis inde mota inflammatio hominem in scholam clinicam se recipere coëgit, in quam tamen non prius quam exactis jam decem a casu diebus se contulit, 9 jan: an: 1846.

Humerus infra medium a congesto subter pure valdopere tumebat, fractum os erat in sede pristinae fracturae: sub fasciarum detractioe, antiqua cicatrix extenuatissima, et a subjecta materia maxime distenta, rumpebatur, pus foetens affatim, ad libram fere, profluxit. — Tam gravis esse videbatur rupti inflammataeque brachii conditio, ut necessaria fere amputatio haberi potuisset. Sed sanissimi habitus erat aegrotus, vix febriabat, et in tam gravi artus laesione, universa corporis conditio tam parum patiebatur, ut nec venam secare necesse fuerit.

Successus autem sanationis, per cubationem tantum, et per opportunam artus positionem instituta, tam felix fuit quam qui vel maxime: rupto enim abscessu, celeriter brachii tumor recessit, puris post primam hebdomadem quotidie minus reddebatur, tertia hebdomade exeunte, ossis fines amplius non movebantur, exeunte quarta discessit aeger. — Docilis et prudentis aegri cubatio tranquilla, et sessio quotidiana in labro tepente ad horas quatuor et ultra, sanationem quam maxime adjuvarunt. — Etiamnum is est operarius qui in comedia scenas apparatus, variat, alias aliis substituit, opera scilicet, quae ulnarum robor non mediocre desiderant.

CLAVICULÆ FRACTÆ.

Fractis claviculis prorsus nullum peculiarem apparatus admovimus, sed operam tantum dedimus ut hu-

merus lateri, injecta circa pectus fascia, immobilis cogeretur, et cubitus mitella fulciretur: compertum enim, et nos quoque frequenti experientia habuimus, fracturam istam omnes medentium conatus eludere, fractos fines, adhibita quantumvis diligentia, sibi apprime nunquam respondere, ceteroquin nil damni in brachii actionibus provenire ex callo parumper deformi. — Id potissimum de plebeja praxi, sicuti plerumque praxis clinica est, dicendum est: in praxi privata, mulierum in primis, nil profecto magis confert ad præcavendam calli deformitatem, quam tranquilla et diuturna cubatio, cujus adminiculo aliquoties, ad sanationem perducere fractas clavículas vidi, quin perpessæ noxæ vestigia superessent.

Fractura claviculæ innocens. Dextram clavículam in triente externo, a lapsu in humerum, fractam habebat plebejus, quinque circiter supra viginti annos natus. Is, non prius quam decima jam exacta die, nos adiit: internum fragmentum, ut plerumque fit, supra externum extabat, calli primordia jam aderant, et in quamcumque partem circummovere artum sine molestia poterat homo, perinde ac si non fracta clavícula fuerit.

FRACTURÆ EXTREMITATUM INFERIORUM.

Fractura femoris dextri. — Gangræna et phlebitis.
Mors — Plebejus firmi corporis, annos sex supra viginti natus, sexta Ianuarii, ex equo in dextrum genu ce-

cidit, et imam femoris partem fregit ita, ut superius fragmentum acutum carnes laceraret, et ex vulnerata paulum cute aliquantum extaret introrsum, quatuor circiter transversis digitis supra patellam.

Huic, eodem die ad nos translato, acutum ossis finem, vix dimidio pollice ex cute extantem, serrula præcisimus; femore in diversa tracto, fracta sine labore composuimus, artum totum subjectæ ferulæ, molliter injecta fascia, adligavimus, venam secuimus, omniaque eum in finem peregimus, ut absque femoris amputatione, graviter vulneratus homo servari posset. — Sed paucos post dies, nos intempestive misericordes fuisse, et amputationem protinus non fecisse, quam maxime piguit: gravissima enim gangrænosa phlogosis quæ nullis auxiliis compesci potuit, totum femur occupavit, et hominem sub symptomatibus infectionis purulentæ, decimasexta die miserrime occidit.

Errorem hocce in casu duplicem commisimus, nempe tam in diagnosi, quam in curatione. Secto enim cadavere vidimus, fracturam in articulum penetrasse, condylos media rima a se invicem disjunctos esse, et superius fragmentum fere inter illos esse conjectum. Carnes femoris fere omnes gangræna occupavit; in pelvi, iliaca vena, et inferior cava erant conspicue inflammata, et multi parvi in hepate sparsi abscessus dabantur. Mors profecto ab omissa amputatione contigit.

Callus femoris deformis. Puer agrestis tertium decimum annum agens, claudicans ad nos adductus est,

quantum post mensem, ex quo, quum in genu ex alto cecidisset, imam femoris dextri partem sibi confregerat. Ossium unitas firmiter erat restituta, sed superior fracti ossis finis a tergo fragmenti inferioris et quidquam introrsum adglutinatus, in fossam popliteam extabat adeo, ut cruris flexionem omnino præpediret: artus ad quatuor circiter transversos pollices brevior erat.—Excidi fortasse extans ossis pars potuisset, nullam tamen curationem suscipere maluimus.

Fractura comminuta cruris. Amputatio panniculata. Gangræna panni antici. Sanatio lenta.—Murarius vasti corporis, quum ex tabulato rectus in humum, extenso crure dextro, cecidisset, totamque corporis molem calcaneo sustinisset, crus in parte extrema sibi confregerat ita, ut, laceratis carnibus, per amplam cutis plagam, parum supra condylum internum, os tibiæ fractæ duos et ultra pollices prominere.

Huic, paulo post in scholam clinicam translato, fracti cruris amputationem in triente superiore duobus pannis fecimus, eamque bene sustinuit æger, et sanitatem recepit.

Praeterire tamen quatuor debuerunt menses prius quam integra vulneri inducta cicatrix fuerit: post chirurgiam scilicet, nullum quidem quod terreret consequebatur malum symptoma, febris mediocris fuit, mitissima quoque vulneris inflammatio; sed antici cutanei panni pars circiter dimidia, quin phlogoseos vehementioris signa moverentur, circa sextam diem gangræna

occupabatur ab extrema ora ad locum usque qui secto ossi ex directo respondebat. Hinc factum est, ut extrema superior pars ossis detruncati, tegmine orbata, improsecta, et partim nuda prostaret. Nihilominus tamen plaga, post lapsum gangrænosæ escharæ celerrime coarctabatur, pannus posticus qui vastissimus erat magis magisque antrorsum ad os attrahebatur, ita quidem, ut circa trigesimum diem ab operatione, brevis plaga circa nudam extremi ossis partem tantum superesset. Tum vero, cicatricis progressus substitit, puris natura pervertebatur, carunculæ squalebant, atque ex illis loco puris, tenuis humor movebatur: tum quoque perturbari quodammedo tota ægri sanitas visa est, carnes scilicet aliquantum calebant, subarida erat cutis, pulsus justo frequentius micabat, obscuræ et inordinatæ febres aderant, neque emendabatur istiusmodi status ægri nisi secundo exeunte mense ex quo artus amputabatur.

Circa illud tempus enim, nuda extemi ossis particula, quippe siderata, ad margines rarefieri et subter attolli visa est; quod igitur quum indicium esset jam factæ vel saltem proximæ illius a subjecto osse discessionis, subjecto specillo extrurbari necrotica ossis testa facië potuit. Ei os carunculis contectum suberat, brevique postea ulcus iterum coarctari, carunculæ pus bonum reddere cœperunt, et circa quartum mensem ulcus prorsus concrevit.

Pulchre vidimus in hocce casu quomodo ossa in superficie forte demortua ad sanationem perveniant, quod

pulcherrime Celsus expressit illis verbis. «*Si quod etiam os adustum est, a parte sana recedit, subitque inter integram atque emortuam partem caruncula, quæ quod abscessit expellat*». Celsus ex recens: L: Targæ, L. 8, C. 3.)

In autopsia cruris fracti extremam tibiam in quinque fragmenta diffractam reperimus: astragali scilicet os, tanquam cuneus in mortariolam extremæ tibiæ compulsus, hanc in longitudinem quadrifariam disjuxerat, seque inter ejus fragmenta conjecerat. Fractura fibulae altius circa medium crus reperiēbatur.

Ceterae cruris fracturae, simplices omnes fuerunt, et *Seuteniano* apparatu curabantur.



TUMORES.

1875

TUMORES.



Prope sexdecim fuerunt tumores cystici mellicerides scilicet atheromata et steatomata, quae extirpavimus: plerique omnes vel capillitio, vel fronti, vel faciei insidebant, nihilque effatu dignum praebuerunt, nisi forte excipias cystidem capillitii *lapicondem*, et melliceridem poma majorem, in media glabella natam.

In extirpandis tumoribus cysticis, quae chirurgia, nec semper facilis profecto est, neque celeriter absolvi potest, semper vero doloribus plena est, plerumque, una plaga, tam cutem, quam ipsam tumoris tunicam secuimus, intus haerentem materiam, ex patefacto tumore excussimus, folliculum volsella arreptum, cultro vel forcibus excidimus, cutem cavo vulneri, admota fascia, appressimus. Sanatio, modo citra puris generationem

obtinet, saepius vero pus motum est. Ubi tumor celluloso circumjacenti textui laxius adhaesisset, eum integrum, incisa tantum cute, ex vulnere quodammodo extorquere suevimus. In duobus casibus, ne nimis dolorifica esset operatio, folliculum tantum patefecimus et lapide infernali adussimus, vulnusque cavum, per suppurationem ad cictraricem perduximus.

Cystis in glabella, pomo major. Ab immemorabili inde tempore, famula fere quinquagenaria pomiformem cystidem, in media glabella circumferebat, eratque cystidis basis lata adeo, ut oculorum internum canthum jam pertingeret, imo fere excederet.—Vetula sæpius Scholam clinicam adierat flagitans, ut tumor, quocum juvenilem transegerat aetatem, modo ei, jam senium attingenti, extirparetur. Quum a proposito suo declinare pertinacem feminam nostrae admonitiones non potuissent, ei morem, etiam inviti¹ gessimus; cystidem, cum redundante cutis parte excidimus, vulneris oras suturis conneximus, pannos, circumjecta fascia, modiocriter appressimus. — Plaga justo magis succensa est, caput vehementius doluit, frons rubuit, palpebrae intumuerunt, erysipelas, (mite tamen et sine gravioribus symptomatibus) capillitium pervasit, pus multum plagâ reddidit, nec nisi exacto mense cicatricem recepit. Vena sacari semel, hirudines bis admoveri debuerunt. Carebaria, capitis æstus, sub-

¹ Anno præterito, juvenis 22 annos natus, optime constitutus, ab extirpatione tumoris cystici palpebræ superioris, subito erysipelate capitis gravissimo, et mota utriusque genu inflammatione, periit.

inde vertigo feminam, etiam posteaquam dimissa fuerat, aliquandiu tenuerunt.

Cystis in vertice lapicondis ¹. Sacerdos annorum prope quadraginta, procerus, habitus adusti, multis ab annis identidem quadam quasi anxietate et pectoris angustia prehendi, tumque glutinosum quid et mucidum excreare se ajebat: cui, si vera retulit, flava, subrotunda, ossea corpuscula admixta esse solebant. Is, septem ab annis in medio fere vertice posteriorum cystidem gerebat formæ ovatæ, capillis nudam, vix mediocris castaneæ magnitudinem æquantem, pressionem lente cedentem. Etsi cystis non doleret, ab illa tamen sæpius dolere caput, sanguinis raptus ad caput fieri, premi, vexari, torqueri, ineffabili tandem modose affici, Sacerdos narrabat; quamobrem valde flagitabat, ut tumor ille, in quem totam mentem convertisse videbatur, extirparetur.

Secta in longitudinem tumoris cute, cystis integra sine alia fere opera cultri ex vulnere quodammodo exprimebatur. Vulneris oris nec suturæ nec tæniæ glutinantes iniicebantur, tantum linteum superdatum est, et fascia capiti quæ comprimeret circumjecta est. Cicatrix prorsus sine pure contigit, et quinta die æger discessit.

Cystis laticem viscidum fere diaphanum, nullius coloris continebat, neque parietes ejus subsidebant, illis

¹ *Marci Aurelii Severini de recondita abscessuum natura. Cap. XXVIII. De tuberculis lapicondis.*

enim intus testæ osseæ ubique adhærebant: viscidus quoque cystidis humor multas parvas osseas testas gerebat.

TUMORES GRAVIORES.

Sed pene ineptiæ fuerunt tumores isti vulgares, quos tantum numerasse sufficit; reliqui vero tumores quos curandos habuimus gravissimæ profecto dignitatis chirurgicæ fuerunt, gravissimasque chirurgicas curationes postularunt. Ex his alter toti parotideæ regioni insidebat, imo ipsa erat parotis in tumorem ingentem degenerata, quæ ex recessibus, quibus se hæc glandula insinuat, eradicari oportuit—alter, tumor fuit item in parotide natus, (non vero parotis ipsa), in quo tamen extirpando facialis nervus quoque præcidi debuit—tertius, fuit sarcoma simplex ex fossa canina dextra se sursum tanquam cornu attollens—quartus, tumor fuit melanoticus prægrandis ex maxilla superiore sinistra excrescens, quam una cum jugali osse, horribili faciei mutilatione, extirpare necesse fuit—quintus, fuit tumor obscurissimæ naturæ, ex medio sterno surgens, fere caput magnitudine æquans, qui corrupto subjecto osse cor comprimebat—sextus, fuit melanosis oculi sinistri totam implens orbitam, et ex illa in majorem molem luxurians—septimus, tumor fuit infra linguam natus, ejus radici adhærens, qui deorsum in regione inframaxillari latescens magnitudinem tantam adeptus est, ut fere caput hominis illius æquaret, a quo




Fig 7.



gestabatur—octavus denique fuit tumor lipomatodes ex cervice tanquam ex radice supra dorsum dependens, magnitudinis multorum insimul congestorum capitum, ponderis librarum quinque supra viginti.

Horum igitur tumorum jam paulo fusior, pro illorum dignitate, descriptio sequitur.

Parotis dextra in tumorem ingentis molis, ponderis librarum fere duarum degenerata—Extirpatio parotidis—Hemiplegia facialis—Sanatio per inflammationem adhæsivam. V. fig. 1 et. 2.

Vegeto et robusto juveni, vigesimum quartum annum jam attingenti, magnus ex parotidea et masseterica regione dextra tumor succreverat, qui, et mole ingenti, et tensione inde orta, et vultus deformitate, et dolore quoque, jam adeo juvenem affligebat, ut is in scholam clinicam sustinendæ tumoris extirpationi animosus se contulerit, januario ann: 1846.

Tumor ab ipsa inde infantia circa maxillæ angulum hærens, lenta sed assidua incrementa capiens, eam jam molem circa decimum quintum ætatis annum erat assequutus, ut, et pueri faciem valde deturparet, et parentes ideo discutiendo tumori multa, multis suadentibus, facessero. Adhibuerunt autem inter cetera remedia pulverem rodentem, qui summo tumori admotus inflammationem cum febre concitavit, cutem exulceravit, tumoris incrementa celeriora post-

modum reddidit, et in ipso quoque summo tumore haud ita gravem sed perpetuum deinceps dolorem suscitavit.

Lata admodum et prope circularis erat tumoris basis, quippe quæ, transversa diametro, ab apophysi mastoidea ad mediam buccam, diametro vero verticali, ab apophysi malari temporis valde infra maxillæ angulum usque, extendebatur. Tumoris figura conum quodammodo referebat, qui ex lata illa basi extrorsum ad altitudinem sex profecto pollicum exsurgebat, apice subrotundo et deorsum aliquantum inclinato. Medio fere loco inter basim et tumoris fastigium circularis fere dabatur depressio, infra quam tumor prope scirrhosam duritiem præbebat; supra vero, in apice scilicet, indubiam ut ut profundam elasticitatem imo mollitiem tumor offerebat. Nullibi in cute tumorem contegente alienatio quædam deprehendebatur: in summa tantum tumoris parte, quæ scilicet olim caustici vim erat experta, latam, glabram et pallidam cicatricem cutis gerebat. Dolor aliquis ab aliquot jam annis tumori inerat qui potissimum post mediam noctem ingravescebat: dolor exasperabatur sub exploratione paulo rudiori tumoris, quam proinde moleste ferebat æger. Tumor altis firmisque in sede illa radicibus hæere videbatur, quippe qui in basi sua parum admodum dimoveri poterat. — Nil libero maxillæ inferioris motui obstabat, etiamsi tumor mandibulæ angulum totum obvolveret, eumque tactui prorsus subduceret. Meatus auditorius cartilagineus a tumore infra et ante meatum arctissime adjacente ali-

quantum erat compressus, lobulus auriculæ in cutem tumoris erat attractus et explicatus, audiendi vero facultas integra erat.

Exoptante homine, tumoris extirpationem duodevigesima januarii die suscepimus. Aegro in mensa cubante, inclinato in sinistrum latus capite, cutis supra tumorem duabus plagis longissimis, se se in tumoris fastigio intersecantibus, incidebatur: ex plagis altera retro apophysin mastoideam inchoata, ad mediam usque buccam perducebatur; altera, a media temporali fossa, deorsum in collum, in medium fere musculus sternocleidomastoideum protrahebatur: tum subsectis a subjecto tumore pannis et reflexis, tumore jam late nudato, ad aliam chirurgiæ longe graviorem partem, ad ejus scilicet ex anfractibus fossæ parotidæ extirpationem, accessimus.

Densam, fibrosam tunicam tumorem circumcingentem, subducto sulcato specillo, quatenus saltem fieri potuit, incidimus, id enim circa tumoris apicem et deorsum quoque, qua parte tumor ex fossa parotidea in summam colli regionem transibat quidem successit, nequaquam vero in superiore tumoris circumferentia: qua parte tumor musculo masseteri et apophysii malari respondebat, loca quippe ubi fibrosa illa tunica vel prorsus deesse, vel adeo tumori adnexa videbatur, ut a tumore diduci nequaquam potuerit. Patefacto igitur qua fieri potuit fibroso tumoris amictu, insinuatim subter eum digitis, tam horum quam lignæ spathæ ad-

miniculo, tumor inferne apprehensus, ex anfractibus fossæ parotideæ sursum versus magna ex parte extorquebatur. Sub hac tumoris ex parotideæ fossa eradicatione temperate quidem, sed non sine magna vi facta, et hic cultri illic forficum admiculo, quibus fibrosa tumoris vincula caute secabantur, absoluta, magna tumoris tubera tanquam ex angustis recessibus se se ægre extricantia, in apricum quodammodo prædiierunt. Hæc, spatia inter insertionem musculi sterno-mastoidei et angulum maxillæ, inter hanc et ligamentum stylomaxillare, inter utrumque denique musculum pterygoideum, implebant.—Supererat denique ut tumor jam ex fossa parotideæ eradicatus, jam inferne sursum eversus et tanquam resupinatus, ex reliqua basi, ex suis scilicet cum musculo massetere et cum arcu zygomatico adhæSIONIBUS removeretur. His vero partibus incredibili tenacitate adhærescebat tumor, qui totus cultro excidi debuit.

Jam vero absoluta, non sine magno molimine, integri tumoris extirpatione, magna et altissima patebat plaga, in qua nudus et periosteis orbatus visebatur zygomaticus arcus una cum parte ossis jugalis, nudus totus musculus massetericus cujus fibræ hic illic erant laceratæ; nudus margo posterior processus ascendens maxillæ inferioris; detecta sed integra capsula articuli temporo-maxillaris; retro articulum nuda prorsus et sine periosteis visebatur *fossa glenoidea posterior* una cum vaginali apophysi et apophysi styloidea cujus

musculi et ligamenta nuda prostabant; nuda denique summa pars musculi sternomastoidei. Inter ligamentum stylo-maxillare et mandibulæ processum vastus anfractus vacuus aderat; alter item vastus anfractus visebatur in intercapedine utriusque musculo pterygoideo interposita, in quibus scilicet spatiis magna tubera tumoris, prius quam extirparetur, comprehendebantur. Verbo, recessus omnes in quibus parotis naturaliter se insinuat et recipit, inanes et vacui sed ampliores prostabant, quin *nec minimum ullibi parotidis vestigium* superesset, nec superesse posset; tumor enim qui extirpabatur ipsa revera erat parotis in tumorem degenerata, non tumor aliquis in illa vel supra illam natus, qui eam (ut quandoque fit) ex sede sua sensim crescendo exturbarit, eamque premendo sensim absumpserit.

Adnotatione digna est conditio ossium quibus ita degenerata parotis erat adnexa, et post extirpationem igitur nuda oculis et tactui se præbebant, præcipue fossa glenoidea posterior et apophysis vaginalis: ossa enim illa sanissima quidem erant, sed hic illic foveolas asperas ostendebant quæ lenticulam excipere potuissent: hujusmodi foveolæ ab absorpta summa ossium lamina pendebant, acutum marginem habebant, et omnino illis foveolis erant æquiparandæ, quæ secundum sagittalem suturam in adultis reperiuntur, ubi forte Pacchioni glandulæ paulo majorem molem fuerint adeptæ (*foveæ glandulares*).

Sub ipsa chirurgia protinus totum dextrum faciei latus paralyticum evasit. Valde mediocris autem fuit sanguinis jactura, statim scilicet facta prima cutis plaga cruciata, arteria faciei transversa secta torquebatur; tum vero, in extirpanda tumoris basi carotis externa per tumorem transcurrens necessario secta ligabatur, neque aliæ inde ligari arteriæ debuerunt.

Jam silente quovis sanguinis stillicidio, panni per suturas commissi amplissimam et laxissimam quadrantenus referebant cutaneam paginam, cujus laxitas eo utique erat opportuna, ut altissimo vulneris fundo ejusque anfractibus ubique aptari et insinuari cutis illa redundans posset. Postquam autem id curiosissime factum fuerat, tota illa regio quæ nuper a tumore adeo extabat, modo vero eo extirpato mirum quantum erat excavata, gossypio in cunei fere formam convoluto implebatur, et injecta circum caput fascia, apprimebatur: æger interea in latus affectum cubare jussus est, quo facilius panni adjuvante modica pressione subjecto vulnere cavo confervescerent.

Prima die, commode habuit, identidem dormivit æger: vespere ex capite quidquam doluit dolorque in pharynge deglutiendo aderat; dexter oculus lacrymabatur, et claudi nequibat; auris dextra parum audiebat: nox tranquilla fuit, multo somno—*Alterâ die*, pulsus 75, levis cephalalgia levisque gulæ dolor tenebant, dolorque per cervicem secundum mastoideum muscolum descendebat: ad vesperam gena parumper tumebat, tumebat

Fig. 2.



quoque inferior palpebra, quae ab ecchymosi subatrum colorem conceperat.—*Tertia*: nox bona, pulsus 75: post meridiem incaluit aeger, gulae dolor quidquam major erat, buccae et palpebrarum tumor perstabat; vespere modice febriebat. (*Venæsectio, sulphas sodæ;*) *Quarta*: febris prorsus recesserat, omnia optime procedebant. Recepta deligatione, nulla in vulnere vel parum gravis dabatur phlogosis, orae omnes erant conglutinatae, adglutinati subter panni. (*Suturis receptis, gossypium superdatum est*).—*Quinta*: palpebrae valde detumuerant, ecchymosis jam fatiscebat, nullibi dolor, nullibi in loco vulnerato inflammatio, ubique adhaesio, ubique in profunditate anfractuum fossae parotideae, pannorum coalitus et firma adglutinatio: lacrymatio et paralysis faciei perstabant—*Septima*: extra lectum aeger versabatur.—*Undecima*: ex aure, citra dolorem, aliquantum puris profluxit. — *Decimatertia*: cutis mastoideae regionis quidquam tumebat et aliquantum dolebat, quasi nasciturus esset mastoideus abscessus: auris meatus pure madebat. — *Decimaquinta*: otorrhœa perseverabat, et in medio fere meatu auditorio deorsum, qua parte cartilago ossi adnectitur, caruncula magnitudinis lenticulae prominebat, ¹ et compressa mastoidea regione, aliquid puris in meatum irruebat.— Circa *vigesimum* diem, nullum fere pus auris amplius

¹ Sub eradicatione tumoris nonnullae fibrae, meatum cartilagineum osseo connectentes, profecto rumpebantur: inde caruncula, et via puri patens ex regione mastoidea in meatum.


reddebat: per hos dies caruncula lapide infernali identidem tetigimus, aquam quotidie et saepius in aurem syphone injecimus; neque mastoideam regionem incidere, ut pus evocaretur, necesse fuit.—Circa *vigesimum quintum*, nil amplius morbosum, tam in aure, quam circa aurem aderat, vulneris cicatrices firmae erant et glabrae, firmi et glabri et bene nutriti erant panni, perstabat tantum hemiplegia facialis.

Aeger quidem dimitti jam tum potuisset; per mensem vero adhuc in Schola eum morari voluimus, ne algidae hiemis injuriam, qui recens convaluerat, sustineret. Per hoc tempus, is, quippe vegetus et per omnia sanus, otii taedio, se quasi famulum clinicum constituerat, et domesticis muneribus manus admovebat. Dimissus vero circa finem secundi mensis quum fuisset, ejus os, adhuc in sinistrum latus quidquam attractum visebatur, quod vitii, si forte homo resisset, cumprimis apparebat: pinna nasi dextra collapsa, sub aëris per nares attractione morabatur immobilis, et sub somno hiulcae palpebrae album oculi non contegebant.—In pristina tumoris sede, ampla et profundissima fossa visebatur, ¹ massetericam, parotideam, et mastoideam regionem occupans, eamque fossam emittens quadantenus ager circumcingebat, superne potissimum, ubi arcus zygomaticus, a tumore sursum compulsus, prominebat. In hac fossa antrorsum, maxillae

¹ V. fig. 3.

angulus tum obtusior tum valde erat distantior ab apophysii mastoidea hocce in latere quam in sinistro, naturali enim ejus incremento obstiterat tumor retro natus. Totus quoque maxillæ corpus in dextro latere aliquam offerebat a naturali figura deflexionem, ita enim erat quodammodo superne deorsum et extrorsum obliquatus, ut molares dentes maxillæ inferioris molares superiores non nisi externo margine attingerent.

Tumor excisus ponderis erat librarum fere duarum, coloris ex albo flavescentis, compagis præduræ fere scirrhosæ et ubique granosæ, perinde ac si quivis parotidis acinus seorsim majorem tum molem tum durtiem esset adeptus ¹. Glandulosam igitur naturam tumor adhuc quodammodo referebat, tantum mole et durtie mutata — In summo vero tumore ubi quædam quasi fluctuatio percipiebatur, locus dabatur mollitus, pultaceus, cavernosus, indicium jam inceptæ degenerationis.



Quæ pro et contra parotidis extirpationem inde ab *Heisteri* temporibus scripta fuerint, non ignoro: quum plures etiamnum dentur gravissimi in arte viri, qui

¹ Huic degenerationi subjectam quandoque parotidem esse, comprobant ea quæ apud *Warren* leguntur «*The parotid gland is the seat of two species of induration; one in the lymphatic glands situated about it, which is common; the other a genuine induration of the parotide itself, which is quite rare*». *Warren surgical observations on tumours. p. 285 London. 1839.*

porotidis extirpationem prorsus impossibilem declarent, quotiescumque mihi se occasio præbuit hanc operationem peragendi, diligentiam quantam maximam adhibui tum in pervestiganda fossa parotideâ, post extirpationem vacuefacta, tum in pervestigando tumore extirpato, ut cognoscerem, num pars quædam glandulæ in fossa porotideâ remanserit, num tumor aliquis extra parotidem vel in parotide natus ¹ mihi imponeret—Quoad casum mox relatam, omnino indubium est totam parotidem extirpatam fuisse, et omnino totam perotideam fossam fuisse vacuefactam. Idem quoque fuit casus parotidis a nobis in Schola Clinica anno 1843 extirpatæ, cujus moles fuit librarum trium cum dimidia ². In illo casu quoque, tota fossa parotideâ una cum singulis recessibus suis nuda et vacua prostabat: tamen etiam tum vulnus latissimum, altissimum et inæquale, omnino per inflammationem adhaesivam consanuit. Eo vero in casu, etiamsi moles tumoris fere duplo major fuisset, adhæsiones ejus multo erant laxiores, et tota chirurgia facilius absolvi potuit.

Ad pericula hujus chirurgiæ quod spectat, fortasse hæc non tanti sunt momenti ut multi etiam ex recentissimis auctoribus ³ sibi persuadent. Profecto maxi-

¹ *Velpeau*, nouveaux éléments de Médecine opératoire. Bruxelles 1840, p. 254. — *Allan Burns*.

² *Annales de Chirurgie*, T. XI, Juin 1844.

³ *Roser*: Handbuch der anatomischen Chirurgie: Tübingen 1844, p. 287.

mum periculum positum est in læsione carotidis internæ, et internæ quoque venæ jugularis, quae vena in extirpatione parotidis quam ann: 1843 fecimus, colore et turgore suo, se in fundo vulneris apparentem manifestissima obtulit. Haec vero majora vasa, a tumore parotidis firma fascia sejunguntur, ideoque a chirurgo semper vitari possunt. Laesio carotidis externae, qua parte in parotidem se immittit, parvi momenti est, facile enim ligari arteria potest: imo, quum arteria haec per parotidem transcurrat, sine illius præcisione et ligatura extirpatio hujus glandulae vix fieri potest, nisi forte arteria a tumore compressa, impervia evaserit ¹. Ligata autem, statim ac sub extirpatione tumoris praeciditur, carotis externa, caeterae propagines hujus arteriae, sanguinem non amplius emittunt, indeque fit, ut haec chirurgia plerumque parum sit cruenta.

Quoad difficultates autem, imo, ut nonnulli volunt, impossibilitatem ² hujus chirurgiae, profecto impossibile omnino est, *sanam* parotidem in vivente homine extirpare; chirurgia scilicet, quæ in ipso cadavere non mediocriter est

¹ *Warren*, Surgical observations on tumours. London, 1839. p. 287.

² *Burns*. l. c.

Ellis. Demonstrations of anatomy. London, 1840. p. 86. «A careful
«examination of the processes of the gland sent into the hollows in
«the bottom of the space in which it lies, and of the number of
«important vessels that either pass through the gland, or are in close
«contact with it, must convince the dissector of the impracticability of
«removing it, and also of the dangers attending any operations on
«this part».

laboriosa, et multum temporis requirit: aliter vero res se habere videtur ubi parotis sit *degenerata*, sicuti est ubi ad ejus extirpationem acceditur. Degenerationes, quæ parotidis extirpationem requirunt, ad tumores semper pertinent, et extirpatio his in casibus, majori ex parte, non cultri opera, sed per *eradicationem* et *extorsionem* tumoris absolvitur. Extirpatio autem eo facilior est, quo durior est tumor, et pene dixerim, quo major quoque est ejus moles: a majori enim tumoris mole, anfractus fossae parotideæ ampliantur, eoque, tum digitis, tum manubriolo, quæ his in casibus potiora sunt extirpationis adminicula, facilior paratur accessus. — Extirpare igitur *parotidem sanam* impossibile est, in *tumorem degeneratam* possibile est.

Quemadmodum casus modo enarratus exemplum præbuit integræ parotidis degeneratæ et extirpatæ, ita casus qui sequitur, exemplum refert tumoris in parotide nati, qui, ut e medio tolleretur, parotis laedi quidem, nequaquam vero extirpari debuit.

Tumor fibrosus in parotide sinistra natus. Extirpatio tumoris. Hemiplegia facialis. Sanatio per inflammationem purulentam.

Rustica 30 annorum, nupta, sanissimi habitus, ad vigesimum sextum usque ætatis annum, quo primum conceperat, prope nullos agnoverat morbos: tum vero, nulla manifesta occasione nullaque molestia, attolli in media sede parotidis sinistrae tumorem animadvertit durum, avellanae nucis magnitudinem vix superantem.

Hujus tumoris moles, per subsequentes quatuor annos pedetentim, sine ullo dolore, sed continenter, tam in altitudinem, quam in latitudinem increbuit; quare, rustica nimium tumoris incrementum et nimiam vulnus deformitatem reformidans, ultro se in Scholam contulit, animo ad sustinendam tumoris extirpationem paratissimo.

Tumor figuram solani tuberosi mediæ magnitudinis referebat, prope semipugnum scilicet æquabat, in superficie giberosus, in basi quidquam latior erat: sana et non adhærente cute contegebatur, dimoveri quoque faciliter in quamcunque partem posse videbatur, tanquam tumor sub tegmine cutaneo natus: durus erat, duritie fere scirrhusa.

Duabus plagis supra tumorem in decussim incisus, quatuor cutaneos pannos subsecuimus, tumoremque incisa fascia parotidea nudavimus. Tum jam ad extirpationem tumoris ex basi ejus accedentes, in nonnullas difficultates offendimus; nam mendax erat mobilitas tumoris, quippe qui altius in parotidem radices figens, non seorsim, sed cum parotide tota dimovebatur. Eo igitur ex parotidea fossa extirpando, alte adigi culter retro processum maxillæ, et parotis alte sauciari debuit, et variæ arteriolæ, atque ipsa quoque temporalis secari debuerunt: nervus facialis quoque, vel certe majores hujus nervi propagines secabantur, extemplo enim, vix excisa profundiore tumoris radice, paralytica facies illius lateris evasit, claudi oculus amplius non potuit, os in latus oppositum distractum est.

In cavo vulneris parotis visebatur sauciata, ex cujus scilicet sinu, aliena illa moles e medio sublata fuerat. Jam vero, oras vulneris collectas et per suturam commissas, sinuoso vulneris fundo admovimus, eique sicca deligatione adpressimus. — Febris traumatica satis conspicua fuit, sine ullo tamen, vel parum gravi symptomate. *Tertia die*, prima deligatione recepta, pannos et vicinas faciei partes tumidulas et calentes invenimus, pusque motum: cataplasma emolliens superdedimus, pus subsequentibus diebus diligenter expressimus. *Octava die*, siccis tantum linteis locum sauciatum, ex quo saliva pure confusa promanabat, proteximus; *duodecima* vero, conglutinatis jam pannis, neque stillante amplius saliva, aegram dimisimus. — Plaga in hocce casu, per generationem puris coaluit, dum in casu præcedente, plaga profecto sexties major, sine pure concrevit.

Quo magis vulnus ad cicatricem spectabat, eo minus conspicua quoque paralysis faciei fieri videbatur; et quum manumissa esset, femina oculum claudere multo magis quam prius, poterat; parum tantum sub somno hiabant palpebrae, et bucca sinistra, immobilis adhuc quidquam morabatur: os vero, vix, ac ne vix quidem, in oppositum latus erat distortum.

Tumoris parenchyma, totum erat homogeneous, albisimum, duritiei fibroso-cartilagineæ, absque canceratico succo. Supra tumorem, rami crassiores nervi facialis transcurrebant.





Fig. 3.



Sarcoma simplex ex fossa canina dextra et nasi latere excrescens. Extirpatio tumoris. Sanatio magna ex parte sine pure, per simplicem vulneris protectionem. Vide fig. 3.

Ruricolæ prope sexagenario, boni habitus, ex fossa canina dextra nondum ab anno tumor excreverat, qui latescendo et in altitudinem tamquam cornu a latere nasi sursum versus luxurians, mole sua ante oculum sese attollebat adeo, ut supercilii altitudinem jam attingeret. Circa decimum mensem ex quo tumor nullo dolore nullaque cutis alienatione natus erat, infaustissime contigit, ut ab ictu bovis plagam summus acciperet. Tum cutis in fastigio tumoris lacerata, cicatricem amplius non concepit, sed in ulcus dolens degeneravit, tumorque rapidius in altitudinem et latitudinem increbuit.

Nona Augusti ann: 1845, duobus circiter ab infortunio mensibus, quum in scholam se se recepisset æger, ea erat tumoris figura quæ in 3^a effigie fideliter expressa visitur. Pyramidem quodammodo repræsentat in apice detruncatam, quæ ex tota dextra fossa canina sursum arcte contra orbitam attollitur, nasi latus a radice ad pinnam usque invadit, oculum retro abscondit, jam supercilium excedit. In summo tumoris fastigio detruncato, cava, quadantenus crateriformis plaga inspicitur, cujus ambitum carunculæ ex cutis margine emergentes obsident, quin ex illa ichor vel pus moveantur, arida fere ea cavitate. Naturaliter se

habet cutis quæ tumorem contegit; quo magis vero ad exulceratum tumoris fastigium accedit, cutis livescit, multisque circa carunculas turgentibus venulis obsidetur. Tumor basi sua est prorsus immobilis, et, ut ut duræ sit compagis, nequaquam tamen scirrhosam refert duritiem.

Mitis autem et non canceratica esse natura hujus tumoris videbatur: quod si medullaris naturæ fuisset, ut ex primo aspectu suspicari potuisset, tum mollior fuisset, tum ab accepta plaga in canceraticum ulcus abiisset, et in luxuriantes fungositates excrevisset: livor quoque cutis, et varicosæ circa ulcus venæ, ulceri chronice inflammato potius tribuendæ videbantur, quam malæ tumoris naturæ, quæ primo tantum intuitu suspicari, ut dixi, poterat: videbatur igitur, tumor potius ad simplicia, ut ajunt, sarcomata quam ad canceraticas degeneraciones pertinere. Ceterum nullibi indurata circa collum ganglia lymphatica dabantur, nullumque dabatur signum ex quo quædam sinus maxillaris affectio potuerit suspicari.

In extirpando tumore opera data est, ut nihil omnino cutis excideretur, sed tota quanta nondum exulcerata supererat, contegendæ plagæ adhiberetur: opera item data est, ut figura nasi quam minime læderetur, et integra præcipue relinqueretur nasi pinna dextra cui tumoris pars supercreverat, et a latescente tumore extrorsum et quidquam deorsum fuerat compulsa. Cutis igitur tumorem contegens, recta plaga, quæ infra zygoma incipiens, sursum per medium tumo-

rem ad summum usque ejus fastigium transcurrerebat, secta est, eoque cutis in duos pannos separata est, quorum superior sursum, inferior deorsum, subsecando rejectus est. Nudatus jam magna ex parte tumor, plus opera manubrioli quam aciei a subjectis ossibus sine labore excussus est, temperateque evellendo, ex pinna et nasi dorso, atque ex cantho oculi interno, cui arctius adhærescebat, exturbatus est. Tum cutem supra vulnus adduximus, et subjectis ossibus, quæ labe omnino carebant, temperate, absque suturis, gossypio et fascia tantum superdatis, adpressimus. — Magna plaga, magna ex parte cute contegi potuit, sed patens remansit particula ejus ad latus nasi et circa pinnam, quo loci, cutis ulcere exesa deerat.

Panni citra puris generationem apprime concreverunt, nullaque curatione adhibita, vulnus, quod a latere nasi circa pinnam patebat, carnibus celeriter impletum est, ægerque vigesima secunda die discessit.

Tumorem cellulosa tenuis tunica circumcingebat, ejusque compages tota erat homogœnea, coloris impure albi, texturæ firmæ, canceratico succo carens, videbaturque constare ex concreta fibrina, qualis scilicet esse solet textura simplicis sarcomatis ¹.

¹ «Simple Sarcoma, non-malignant». The «common vascular sarcoma «of Abernethy» This consists of an accumulation and organization of «plastic fibrin; which, subsequently to organization, comes to assume «the characters of an hypertrophied and condensed portion of ordinary «fibro-cellular tissue». *James Miller*, *The principles of Surgery*, p. 537, Edinburg, 1844.

Melanosis oculi sinistri. Extirpatio oculi. Sanatio sine ullo gravi symptomate. Fig. 4.

Urbicam mulierem, jam annos supra sexaginta natam, pluries feliciter enixam, dudum bona veletudine usam, circa medium Decembrem ann: 1837 ferox temporis et orbitæ sinistrae dolor cepit, magna cum epiphora et photophobia. Exacto inter assiduos, eosque acerbissimos dolores triduo, illius oculi potentiam prorsus amisit aegra, eamque postmodum nunquam recuperavit. Ab illo autem tempore, perpetua fere lege, quotannis ad unum alterumve mensem, sinistrum caput acerbis dolor verberavit, quo mitigando, quotannis aegra sibi hirudines capiti admovere consuevit. Anno autem 1844, dolores, tum graviores, tum jam assidui fiebant, oculus, ut aegra ajebat, figuram permutavit, intumuit, ex orbita prominuit, mox globum carnei fere coloris, glabrum simulavit, serius vero, crescendo nigrescentem colorem concepit, et in magnam molem extra ipsam orbitam quodammodo luxuriavit. Jam vero, aegrotata assiduis doloribus conflictata, et assiduo tumoris incremento perterrita, Scholam Clinicam adivit Octobri ann: 1845.

Orbitam sinistram implebat tumor nigerrimus et tuberosus, qui magna mole sua, orbitae marginem excedebat, extusque valde prominebat. Palpebrae diductissimae tumorem cinguli adinstar amplectebantur: a latere

Fig 4.



tumoris interno, adhuc superesse obscura corneae vestigia videbantur; tumorem circa basim conjunctiva incrassata, fere carnei coloris circumcingebat, et per illam, nigredo apparebat: paulo vero supra basim conjunctiva hic illic hiabat, et ex hiatibus illis tubera nigerrima, mollia, tum pisi, tum nucis avellanae magnitudinis, pullulabant.

Quum vires gementis aegrae, pro aetate ejus, et pro morbi atrocitate satis adhuc constarent, quumque adfectorum ceterorum viscerum signa praesto non essent, oculi extirpationem esse suscipiendam judicavimus. Percisso externo palpebrarum cantho, et circum praecisa conjunctiva fere carnea, tanta fuit tumoris molities, ut mollioris pultis in modum difflueret: quamobrem, quum integer tumor nullatenus extirpari potuisset, immersis in ipsum tumorem digitis, ex orbita nigerrimam illam melanoticam pulvem exenteravimus. Supererat tum, ut tunica, in qua materies melanotica erat conclusa, ex orbitae cavo, cui erat adnexa, eximeretur: haec, firma erat, quodammodo fibrosa, laxiterque circumjacenti periorbitae adhaerebat: quare inter utramque insinuato scalpri manubriolo, ex toto orbitae ambitu tunicam solvimus, et in fasciculum collegimus, qui in apice orbitae, ex ipso nervo optico proficisci visus est: illic tunicam, temperate trahendo, sinuatis forcibus, altius quam fieri potuit, excidimus, et ne qua forte vitiata particula superesset, eum locum adacto candente ferramento ambussimus. Re ita absoluta, quum

jam periorbita, a quavis melanotica labe immunis prostaret, adductis palpebris, fascia orbitae superinjecta est.

Sanguis, qui horas aliquot ex orbita stillavit, sua sponte substitit: post meridiem obdormivit aegra, ad vesperam leviter inhorruit, postmodum modice incaluit, noctem tranquille peregit. — *Alter*a et *tertia die*, tam dolorum, quam febris expers aegra fuit. — *Quarta*, deligatio jam pure immunda remota est: palpebrae œdemate tuebant, nulla vero gravior inflammatio aderat; quomobrem munditiei tantum, et faciliori puris effluxui, capite in latus inclinato, prospectum est. — *Septima*, lectum ad aliquot horas deseruit aegra, et obambulavit: pus uberius ex orbitae cavo effluebat, quare deligatio bis terve mutabatur. — Ad *vegisimam* diem usque, omnia egregie procedebant, pus bonum vulnus reddebat, carunculae orbitae cavum jam plurimum adimpleverant; tum vero, aliquis in gena et in ambitu orbitae erysipelaceus rubor apparuit cum mitissima febre, protinusque natura puris aliquantum alienata est: exhibito autem stibio, superdatoque splenio camphorato, quidquid mali supervenerat, tertia die prorsus dissipatum est. — *Vigesima sexta*, domum aegra concessit, palpebris quidquam œdematosis, et plaga aliquid puris adhuc reddente.

Aegra indentidem, et nuper quoque, (octavum scilicet post mensem) Scholam visitavit, mirum quantum confirmata: palpebrae in cavum orbitae quodammodo attractae, orbitae aspectum praecludebant, et per angu-



Fig. 4.



stam earum rimam, ubi diducebantur, orbita carnibus fere impleta, solida, conspiciebatur.

Os maxillare superius sinistrum et jugale in tumorem melanoticum degenerata. Extirpatio. Sanatio per inflammationem adhæsivam. (fig. 5 et 6).

Rustico 30 annorum, staturae brevis et coloris adusti, gravioribus morbis nunquam conflictato, nondum anno abhinc, citra causam et citra dolorem, sed calore et rubore, mala sinistra tumescere coepit.

Tumor pedetentim per autumnum et hiemem aequaliter tam in altitudinem quam in latitudinem increcebat, mollis erat, ruber et calens, raro et leviter admodum dolebat.

Ineunte vere, et potissimum circa paschales festos, multum increbuit tumor, et in os quoque supra dentes molares prominuit adeo, ut per duas fere hebdomades vix aliquem capere cibum aeger, ut ajebat. potuerit.

Tum vero, supra gingivas, circa dentem molarem superiorem tertium, tumor ruptus est: ichorosa et cruenta materia per duas fere hebdomadas affatim dimanavit, eamque aeger vi quanta potuit exprimere sategit, sperans ita fore, ut, quidquid tumeret, in liquamen dissolveretur.

Ruptus tumor et ab aegro expressus subsedit quidem aliquantum et mollior evasit, sed altera exeunte hebdomade hiatus concrevit, et nullam amplius materiem emisit. Nova tum incrementa tumor coepit, et quamquam

raro et leviter doleret, tamen quum mole sua jam oculum comprimeret et quodammodo retropelleret, hominem coegit, ut ex natali loco (Izjum) in scholam se reciperet, 1-ma Maii ann: 1846.

Tumor ingens, subrotundus, homunculi fere capitis adinstar, totum occupat sinistrum faciei latus, a supercilio ad marginem fere maxillae inferioris, et a nasi latere ad parotideam et temporalem regionem. Superne, ita inferiorem palpebram tumor sursum compellit, ut oculi aspectum omnino praecludat, et ad supercilium usque pertineat. Superficies tumoris ubique aequabilis est, omnino naturali et mobili, non lucida sed impure rubra et conspicue calida cutè contegitur; compressus, mollitiem quandam ubique uniformem refert, perinde ac si spongiosa caro ei subesset: mucosa buccae a tumore prominet, et *pars processus alveolaris* ad postremos quatuor dentes molares pertinens, una cum *proxima particula palati duri* in tumorem quoque degenerata est, osseam naturam omnino amisit, carneam mollitiem induit: postremus molaris dens abest, tres proximi sunt exturbati, et in carne illa vacillantes.—Sicuti palpebra inferior sursum compulsa est, ita tumor angulum oris et nasi pinnam (fig. 5.) deorsum trahit, et mole sua dextram narem praecludit. Tumor prorsus immobilis est, et a subjectis ossibus omnino excrescere videtur: comprehenso et commoto, totum caput sequitur: definitis limitibus caret, et in fossam temporalem quoque descendit. Nulla ceterum in colli et cervicis





Fig 5.



glandulis labes deprehenditur, vires aegri satis adhuc consistunt: oculus ut ut retro in orbitam compulsus, et inferne sursum appressus, quantum saltem per angustissimam rimam videre licuit, naturaliter habet.

Ternis primis diebus dum versatur aeger in schola, intensior, ex caeruleo coccineus, tumoris rubor factus est, et tam ardens calor, ut fere ad abscessionem jam spectare tumor videretur: tum quoque obtuse doluit. Quarta vero nocte, repente, tumor pristino loco, supra molarem scilicet tertium ruptus est, et cochlearia fere duo majora subatrae, sanguineae amurcae eructavit. Mane aegrum inspicientes, per foraminulum nocte ruptum, specillum in tumorem ad pollices fere duos immisimus, illudque per carneos parietes transiens, ad quamdam quasi intercapedinem pervenire videbatur.

Peculiariora in tumore potissimum erant, mollities carnea et fere spongiosa, cutis rubor sine conspicuis venis, dolor fere nullus, sed conspicuus admodum calor. Natura ejus perobscura videbatur; quum autem, tum consistentes adhuc vigerent aegri vires, tum universae labis signa deessent, extirpationem tumoris quarta die suscepimus, ut ut lateret quousque degeneratio in subjectas partes descenderet.

Primum igitur, nudando tumori, cutem in tres pannos divisimus, incisa plaga ad similitudinem literae T. (fig. 6). Plaga superior lunata, a glabella incepta, quidquam supra mediam tumoris partem transcurrens, ad mediam usque temporalem fossam tendebat: pannus inde luna-

tus a subjecto tumore subsectus supra frontem reflectebatur. Alia plaga per medium tumorem deorsum usque infra maxillae marginem protrahebatur, et panni inde duo cutanei subsecti, ad latera tumoris rejiciebantur.

Nudus ita tumor, hic carnei illic subatri coloris se præbuit, in superficie atris tuberibus coopertum, et firma cinctum membrana, a subjecta carne non divellenda: haec tunica, tanquam vetus periosteum, ex tumoris limitibus, supra sana circumposita ossa continuo itinere transibat, et per eam tumor finitimis ossibus adhaerebat, neque ab illis divelli patiebatur. Quare extirpatio semper secando et excidendo, non vero evellendo, fieri debuit. Extirpationem autem a superiore et externa parte incepimus, qua scilicet tumor temporalem fossam implebat, et orbitæ externum parietem pervadebat: hunc in finem aliud vulnus extra et supra supercilium (fig: 6) incidi debuit, quo tota apophysis temporalis ossis frontis nudaretur, quippe quam tumor quoque pervaserat: illam igitur apophysin forficibus osteotomis præcidimus; fossam temporalem tumore occupatam, secto prope aurem arcu zygomatico, exenteravimus; ex temporali fossa, extra et infra oculum, in orbitam et in proximam pterygo-maxillarem fossam, ex hacce vero in fossam nasalem (tumorem semper resupinando) penetravimus: et tumorem denique totum ex apophysi nasali frontis, ex nasali osse et cartilagine, ex apophysi palatina et anteriore parte apophyseos alveolaris, tum cultro, quo membranae, tum

potissimum excisoriis forficibus, quibus ossa secabantur excisum, totum inquam tumorem, non sine arduo et longo labore, abstulimus. Chirurgia parum cruenta fuit, aliquot arteriolas torquere, nullam ligare oportuit.

Oculus ita quodammodo suspensus haerebat in orbita, externo et inferiore, et partim interno pariete orbata: fossa temporalis, pterygo-maxillaris et nasalis, nullis inter se circumscriptae limitibus, tanquam una tantum latissima cavitas prostabant, et plagae fundum efficiebant. In illa cavitate nil omnino zygomatici ossis remanebat, et nihil quoque de osse maxillari, excepta parte anteriore apophyseos alveolaris, et majore parte apophyseos palatinae: alveolaris scilicet et palatinae apophyseos deerat ea tantum pars, quae ultimis quatuor dentibus molaribus respondet; pars scilicet illa, ut supra monuimus, jam in tumorem erat degenerata. Intactum autem fuisse anteriorem processum alveolarem cum palatina apophysii, res fuit summi momenti, nam relictis in sede partibus illis, cavum oris vix deformatum remansit, neque aperta ex ore in nares fuit via, nisi parum postrorsum et extorsum.

Exciso jam tumore, excisa jam ex vulnere quacunque particula, quae vel parum degenerata videbatur, pannos omnes, suturis spisse injectis, consuimus, eosque inaequali vulneris fundo quam diligentissime aptavimus, gossypio et fascia adpressimus, et aegrum sublimi capite cubare jussimus.

Ex vulnere autem tam magno, tam alto, per quod fere dimidia pars faciei diruta fuerat, ex chirurgia tam longa, tam laboriosa, nulla quidem febris, omnino nullum, quod vel parum terreret, symptomata motum est; pulsus semper inter sexagies et septuagies, nunquam frequentius micarunt, vix incaluit aeger, vulnus vix doluit: quam ob rem, re tam egregie se habente, vulnus ante sextam diem non religavimus: ea vero die remotis fasciis, vulnus omnino totum adglutinatum, subjectis partibus apprime adcretum invenimus, et vix unam alteramve puris guttam ex conjunctione orarum expressimus: palpebrae vero clausae erant, et œdemate turgebant, rubella erat conjunctiva, et regio parotidea aliquantum tumebat atque renitebat; quare hirudines XV ei regioni appositae sunt.

Insequentibus autem diebus, vulneratam partem linteo tomentoso et fascia protectam, quotidie diligenter inspectavimus, et pannos temperate adpressimus, ut, si quid forte puris subter haesisset, exprimeretur. *Decima quinta die*, vulneratam partem, nudam sine tegmine reliquimus: per hos dies, ex pannorum ora, uno in loco, modo aliquot guttas puris, modo salivam, premendo exprimebamus: palpebrae autem semper œdematosae turgebant, neque aperiri poterant; oculus tamen naturaliter se habebat, sed deficiente inferiore fulcro, quidquam deorsum propendebat. — Circa diem *trigesimam quintam*, in palpebra inferiore abscessus, sine conspicua phlogosi natus est, eoque inciso cochlearculum puris profluxit.

Circa diem *quinquagesimam*, abscessus in palpebra inferiore iterum subortus est, quo inciso, paucos post dies utriusque palpebræ œdema prorsus disparuit, et oculus jam naturaliter aperiri, suisque muneribus apprime fungi potuit.


Hominem autem quanquam prorsus restitutum, ad exitum usque tertii mensis dimittere nolimus, ut, si quæ in vulnerata parte post inductam cicatricem mutationes contingerent, coram nobis acciderent. — Exeunte vero tertio mense, hominis ad suos jam redeuntis facies, sic fere se habebat: in regione zygomatica et maxillari, loco eminentiæ, mox infra oculum, magna depressio visitur, cui superstrata et adhærens est cutis, altis cicatricibus et altis rugis notata. Cicatrix vulneris superioris lunati, a glabella arcuatim deorsum descendens, dein sursum in fossam temporalem desinens, basim inferioris palpebræ altissimo lunato sulco quodammodo circumscribit, et palpebra ita scutum fere refert sub oculo resupinatum, cui oculus accumbit. Palpebra in sede illa hinc a cicatrice in glabella, illinc a cicatrice circa excisam apophysin jugalem ossis frontis retinetur, eoque firmum oculo fulcimentum præbet. — Cutis altæ illi depressioni instrata, fossæ temporali et pterygomaxillari est adglutinata. Aperto ore, in loco ubi excisa fuit apophysis alveolaris ad dentes molares pertinens, cicatrix visitur, quæ marginem ossis ibidem excisi cuti malarum connectit, præclusa ita via ex ore in nares.

Tumoris extirpati textura erat laxè cellulosa, et cancellos implebat materia fere diffluens, coloris omnino atri: in medio tumore aderat intercapedo, cujus mucosi parietes, quasi reliquæ antri Highmori, in tanta ossis degeneratione adhuc illibati, esse videbantur.

Atheroma ingentis molis basi linguæ adhærens, et in regione inframaxillari propendes. Punctio quinques reiterata, denique incisio tumoris. fig. 7.


Tumor magnitudinis fere capitis, ovatæ et æquabilis figuræ, cute omnino sana et mobili tectus, multis ab annis, ex regione inframaxillari hominis sexagenarii dependebat, et mole sua, quæ quotannis augeri videbatur, multas ægro facessebat molestias: regioni geniohyoideæ appensus, tanquam ovatus globus, altero fine antrorsum infra mentum valde extuberabat, altero postorsum infra et ultra angulum maxillæ sinistrum, ad marginem fere usque muscoli cucullaris se protendebat. Cutis regionis buccalis et maxillaris, a mole et pondere tumoris in plicas, supra tumorem evanescentes erat detracta. Compages tumoris erat quodammodo pastacea, tanquam vesica, lenta quadam pulte impleta. Dolorem nullum tumor movebat, sed mole sua laryngem et majora colli vasa lateris sinistri comprimebat. Inter manus apprehensus et inferne sursum adpressus, in os, inter linguæ basim et genium turgebat, et linguam superne extollebat, perinde ac si ingens ranula fuisset. Et re vera,

Fig. 7.



[Faint handwritten text]

[Faint handwritten text]



primo intuitu tumorem, pro ranula immensæ molis habuimus; paulo post vero intelleximus, tumorem esse atheroma infra linguæ musculos natum, iisque adhærescens.

Provecta ægri ætas, major tumoris moles, latissima et adhærens ejus basis, quamcumque gravem operationem profecto vetabant: quamobrem, tumorem angustissimo cultello, sine læsione cutis, per os scilicet infra linguam, tantum pertudimus. Ex vulnusclo materia homogœnea, lenta, subflavi coloris, adjuvante pressione effluxit: reliquæ materie in flaccescente sacco adhuc morantes, ab ægro sugabantur, et pleno ore expuebantur; qua in re, quasi aliquod delectamentum percipere æger videbatur. Post factam punctiõnem, nullum ellychnium in vulnus immisimus, ne nimia cystidis irritatio moveretur.

Alter die, vulnusculum jam concreverat: cystis quidquam dolebat, æger calebat, in larynge et in pharynge dolor aderat, æger cum quodam linguæ labore loquebatur. *Tertia, quarta et quinta* die, tumoris moles quotidie incresebat, et *sexta* die, jam magnitudinem pristina majorem tumor erat adeptus, cum renixu, et cum ægri anxietate. Quamobrem ea die, tumorem iterum, non ex ore, sed deorsum pupugimus, data opera, ut nulla ex arteriõlis, quas supra tumoris parietem retro colli fasciam hic illic transcurrere explorantes digiti percipiebant, læderetur. Tumor hac vice, tres fere libras serosi subcruenti laticis emisit.

Febris vehemens cum tussi, cum dolore in pharynge et in linguæ radice, cum anxietate magna, et virium dejectio-


ne, punctiōem excepit. Quare venam secuimus, hirudines dolenti tumori triginta affiximus, cataplasma superdedimus, alvum calomelano sollicitavimus. *Quinta* die, pacata jam febre, totus iterum impletus et valde renitens tumor extabat: eum igitur *sexta* die valde renitentem et dolentem, rursus pertudimus: hacce autem vice, loco seri, pus bonum et coctum, ad libram circiter unam et semis, tumor reddidit; ægerque post evacuatū tumorem, multum levaminis expertus est.

Punctio ter iterum, semel scilicet quavis hebdomade, reiterata est, et post quamvis punctiōem tumor denuo pure implebatur, ea tamen differentia, ut post quamvis punctiōem, eodem passu, quo tumoris moles decrecebat, crassities parietum ejus augeri videretur: pendebat autem crassities illa, non a pariete cystidis ipsius, sed a celluloso textu eam circumdante, ab inflammatione indurato et incrassato.

Dum *sextum* pertundebatur tumor, forte contigit, ut punctio incideret in loco, cui subjecta erat arteriola, quæ, ob incrassatum circa cystidem cellulose textum, tactui se subduxerat: pus effluxit sanguine commixtum, et cystis vix vacua, sanguine iterum citissime impleta est, mole ejus indesinenter turgescente, cum magna duritie. Tum igitur, quum moles cystidis increcere non desineret, et irruentem in cavum tumoris sanguinem sistere tamen necesse esset, tumorem magna plaga patefecimus, totam ejus cavitatem a coagulo sanguinis, quo impletus erat, exenteravimus, et parvam arteriolam sub punctiōe læsam ligavimus.



Fig 8



W. Landis

Cystidis incisio novam febrem suscitavit cum timore vehementioris pharyngitidis et laryngitidis: reiterata vero venaesectio, hirudines et cataplasma, omne periculum abigere potuerunt.—Interea, ex cavitate cystidis multum puris quotidie profluebat: in eam quotidie, aquam syphone injiciebamus, et ne oræ vulneris concrecerent, crassum ellychnium, altius in cystidem immittebamus.—Ita sensim sensimque cystis se contraxit, et cavum tandem retulit, quod vix nucem juglandem capere potuisset. Ex ea cavitate ipsemet aeger quotidie aliquid puris exprimebat, et in eam crassum ellychnium immittebat.—Tali in conditione, tertio ineunte mense æger discessit, nullum in regione genio-hyoidea tumorem, sed iter tantum gerens fistulosum, in cystidis reliquias descendens.

Lipoma fere triginta librarum ex cervice supra dorsum dependens.—Extirpatio tumoris.—Sanatio sine ullo gravi eventu. fig. 8.

Ab annis fere viginti, tuber immensæ prope molis, qui scilicet ponderis erat librarum fere triginta, ex cervicali regione, tanquam ex radice, supra dorsum propendebat rustici cujusdam nondum quinquagenarii, qui cernuus, antrorsum scilicet, sustinendo sibi adnato pondere, inclinatus, in Scholam se contulerat 2^a Maii ann. 1846.

Lipoma sub initio infra nucham natum, sensim sensimque majorem molem adeptum, jam totum cervicis tractum aliquot post annos occupavit: tum, proprio pondere inferne revolutum, dependentis quodammodo sacci

adinstar, in majorem molem deorsum latescens, tantam jam vastitatem erat adeptum, ut a lateribus utrumque humerum fere attingeret, deorsum vero fere ad lumbos usque, descenderet. Ad annos usque abhinc duos, adnatum tumorem, sine majori noxa vir utcunque tulit: postremo vero biennio jam laboribus impar evasit; nam universus labefactari habitus, carnes macrescere, vires fatiscere, caput dolere, ipsum quoque lipoma dolere cœperunt. Contigit quoque ante annum circiter, ut ex fissa tumoris cute, et ex rupta, ut æger ajebat, vena, tanta ex tumore proflueret sanguinis copia, ut in magnum vitæ discrimen æger conjiceretur, et postmodum insigni diuturnaue debilitate premeretur. Tertium post mensem, vix vires recollegerat æger, quum tumor, qua parte dorsum spectabat, inflammationem conciperet, natoque abscessu, et per se rupto, amurca ad tres fere libras proflueret. Tum totus tumor mollior et flaccidior factus est, rupto ex loco humor effluere hucusque perrexit, tumorque viro minus molestus evasit, non ita tamen, ut ejus extirpationem quam maxime desiderare desineret.

Lipoma ovatam figuram referebat, (fig: 8) apice superno extenuatiore, inferno latiore: cutis imæ partis erat œdematosa, œdemate quodammodo solido, et ex illa, tum suapte, tum potissimum quum exprimeretur, latex limpidus, tanquam densa ex spongia stillabat. In facie tumoris inferiore dextrorsum, in loco pristini abscessus, iter fistulosum, humorem fere oleoso fluido admixtum reddens,

patebat: secundum tumoris longitudinem, sub cute transcurrentes latissimas venas, explorantes digiti percipiebant. Homo bajulorum more incedebat, et propter tumoris pondus, vix caput flectere valebat: ei vero ceteris commodior corporis figura erat genuflexa et incoxata, dorso parieti appresso, quo tumorem sustineret: quod si vel sella, vel scamnum, vel truncus, vel quidquid denique supra solum eminens adesset, æger se ante illas res genuflexus componebat, et illis tanquam sustentaculis tumorem superponebat.

Tumoris extirpationem, aegro in ventrem cubante, suscepimus, cura adhibita, ut sanguis ex tumore in cervicem prius adigeretur, ne nimia ex ingentibus tumoris venis sanguinis jactura foret. Fiebat autem extirpatio duabus lunatis plagis, per latera tumoris transcurrentibus, et partem cutis supra medium tumorem relinquentibus: postquam id, ita factum fuerat ut cutis magis redundaret, quam deficeret, ligata arteria sanguinem ex cervice in tumorem ferente, consutos insimul cutaneos pannos subjecto vulneri fascia adpressimus.

Curationi nil omnino mali se insinuavit, modicissima febris mota est, nil remediorum opus fuit, plaga, magna ex parte citra pus concrevit, et aeger vigesima die, se suæ conjugii suisque natis levior, alacriorque restituit.

Raro contingit ut lipomata inflammentur et abscedant, sicut in hocce casu contigit. Nuperrime *Brodie* casum ingentis lipomatis in dorso hærentis, nostro casui admodum similem, protulit: lipoma intus inflammatio-

nem concepit, abscessionem fecit, per se ruptus est, hiante deinceps itinere fistuloso, ex quo indesinenter materia, oleoso fluido commixta, effluebat. (*Brodie, lectures illustrative of various subjects in Pathologie and Surgery. London 1846 p. 273*).

Cystis in medio sterno, corrupto osse cor comprimens.
Punctio tumoris:—prius lymphæ, deinceps sanguis effluens.—
Gangræna tumoris.—Mors nona die.

Obscurissimæ naturæ ille tumor fuit, quem femina rustica, annos quinque supra quadraginta nata, Januario mense in Scholam accepta, medio in pectore gerebat. Tumoris globosa moles, fere magnitudini capitis æquiparanda, ex medio sterno in dextrum latus aliquantum inclinata assurgebat, mammariæ regionis cutem attollebat, et flaccescentem mammam, cutaneam tanquam plicam, sibi deorsum appensam habebat. Depressio levis tumorem in duo quasi tubera separabat, alterum dextrum amplissimum, sinistrum alterum, parvum, quasi novum tuber jam jam nasciturum.

Indubiam tumor eamque renitentem elasticitatem offerebat, et ex primo tactu se tanquam cystidem probebat: nulla malæ naturæ nota ei inerat, et ubique sana, naturali, mobili cute erat contactus: in basi tumoris, quæ latissima erat et fere ovatæ figuræ, definitum limitem inter sternum et tumorem digiti explorantes non percipiebant, videbaturque quodammodo sterni superficies in tumorem abire. Auris tumori ad-

mota nullum peculiarem sonum deprehendebat, cordis tantum ictus creberrimos sed normales percipiebat, a corde scilicet per tumoris molem ad aurem translato: neque in tumore tantum, sed in toto thorace quaquaversum diffusi, tam infra dextram, quam infra sinistram claviculam, ictus cordis veluti dilatati audiebantur.

Ægra habitus pessimi erat, præcoci senio confecta videbatur, facies colorem referebat flavedine lurida infectum, arteriæ sine robore celerrime micabant, pulsu tamen neque inæquali, neque intermittente: ægra non tussiebat, neque se lipothymiis obnoxiam unquam fuisse ajebat. Id vero potissimum erat adnotandum, quod, ab uno jam anno, nunquam supina cubare ægra poterat: quod si ei forte id accidisset, spiritus præcidi et statim præfocari sibi videbatur: hanc ob causam, ægra diu noctuque jacebat prona, genibus et cubitibus flexis, capite in pulvinaribus demerso et manibus excepto, dependente ita, et nullibi compresso tumore.

Quoad originem mali, pauca admodum et manca, ex rudi et obtusa ægra colligere licuit: retulit tantum, ter fuisse feliciter enixam, graviorum morborum expertem fuisse, nulla occasione tumorem tres ante annos in medio sterno, sine conspicuo dolore sibi succrescere animadvertisse, per binos et ultra annos campestribus laboribus interfuisse, a sex vero mensibus tumore jam celerius increscente, et novo tubere ad latus ejus apparente, in eam conjectam fuisse debilitatem, in qua nunc versabatur, propter quam lectulo genuflexa affigebatur.

Quum primum accessisset aegra, in mamma natam cystidem gerere credidimus: mox vero diligentius explorata, cystidem vel sterno innexam esse, vel ex ipso sterno succrevisse, et ad mammariam regionem mole tantum pervenisse, intelleximus. Sed circa genuinam tumoris naturam quammaxime dubii haesimus, praecipue ob immobilitatem ejus, et ob indefinitos ossibusque annexos ejus limites: tumoris tamen externa facies, pro serosa cystide omnino loqui, nobis videbatur. In dubio vero haerentes, tumorem tenuissimo exploratorio cultello pertudimus, et mox liquor nullius coloris, fere ad poculum, pleno filo effluxit, qui cysticam tumoris naturam patefacit.... En vero mox, liquorem secum atros trahere concreti cruoris grumos, quorum unus major, vulnusculum tumori inflictum praclusit: nil mali in recessu suspicantes, vulnusculum cultro obtuse mucronato dilatavimus, et in cavitatem tumoris indicem immisimus, quo magis interna cystidis conditio innotesceret. Digitus autem, per sternum prorsus corruptum, et in pulvem quodammodo mollem et unctuosam, in qua, parva, inaequalia, ossea fragmina erant confusa degeneratum, quasi in pectoris cavum descendere visus est: statim igitur, et quin exploratio ulterius protraheretur, digitum recepimus: eum vero exeuntem, rutilantis sanguinis unda, grumis atris commixta sequuta est, quae, conceptam et nuper confirmatam cysticae tumoris naturae opinionem extemplo pervertebat, nosque in majorem adhuc ambiguitatem conjiciebat. Quidquid fuerit, celeriter

vulneris oras, ne sanguis proflueret, tumore jam quidquam flaccescente, apprehendimus, et arcte consumimus.

Femina rem absque lipothymia sustinuit, et ad lectulum ipsamet se restituere potuit. Nondum vero prima, a facta tumoris punctione, hora erat elapsa, quod tumor dimidio vacuefactus, impleri iterum cœpit, moxque eandem ac prius, tam molem, quam tensionem exhibuit, imo paulo post tumidior evasit. Tumori frigida fomenta admovimus; ea vero pectori ægræ pronæ et genuflexæ superdare, arduum fuit. Ad vesperam, febris invasit, noctem moleste transegit aegra, frigida fomenta male perferebat. *Altera* die, tumoris adhuc major erat renixus, et moles major, et tensio maxima, et suturam jam jam divulgum iri, timebamus. Nova punctio profecto necessaria fuisset, eam vero suscipere vetabant timor sanguinis in tumore conclusi, et nuper orta suspicio aneurysmaticæ ejus naturæ. *Tertia* die, prætumidus tumor rubebat, lucidus erat, dolebat admodum; et inter dolores, febrem, et debilitatem, pessime se habebat aegra. *Quarta* et *quinta*, tumor adhuc magis increbuit, se latius in dextrum thoracis latus infra mammam diffudit, eratque ejus renixus prope incredibilis: interea cutis in summo tumore inflammata livescebat, tanquam moritura. *Sexta* et *septima*, magnam cutis partem in summo tumore, circa iussum vulnus, gangræna occupavit, tumor longe flaccidior evasit, ex vulnere serosus, lividus, gangraenosus humor, sine intermissione stillabat. *Octava*, totus tumor subsedit, ejus cutem

sphacelus occupavit: lata gangraenosa eschara medio sterni et dextro thoracis lateri accumbebat, et subter illam, tremuli, praecipites cordis motus lachanizantis aegræ, visebantur: tum primum ea die et altera, aegra in dorsum potuit cubare, *decima* vero periit, sensibus integris.

In cadavere, os sterni medium, totum corruptum invenimus, incorruptam vero internam ejus tunicam pectoris cavo obversam, et incorruptum omnino mediastinum, aequè ac subjectas pleuras: nullus igitur inter externum tumorem, et thoracis viscera aditus aderat, sed tumoris pondus, deficiente osse, basi cordis e directo respondebat, eamque comprimebat. Cartilaginee costae tertiae, quartæ, et quintae, partim quoque destructae, osse cui naturaliter inseruntur destitutae, sine fulcro extabant: loco ossis, pultacea massa, unctuosa, coloris cinerei, odoris caseosi reperta est, in qua, contrita sterni rudera erant confusa: supra thoracem dextrorsum, infra insertionem muscoli pectoralis et infra mammam, perietes cystidis totae gangraenosae jacebant. Omnino sana erat mammaria interna utriusque lateris. In thorace, totum cor dextrum erat justo amplius, extenuatum, mollitum,— amplissima quoque aorta: valvulae omnes omnino naturales: pulmonum textura bona, sed sparsa hic illic aderant solitaria tubercula, hic magnitudinis lenticulae, illic pisi: immo, in summo pulmone dextro, duo solitaria tubercula, magnitudinis nucis avellanae, dabantur, quae incisa pus evomuerunt.

Sicuti in vita, ita et in conspectu cadaveris dissecti, perobscura remansit ossivori hujus tumoris natura: degeneratio sterni, neque ad cariem, neque ad necrosin, neque ad ossium absorptionem pertinebat. Num hydatis, num forte tuberculum in osse natum tumor fuerit, nescio, neque scio unde profluxerit, tumore pertuso, rutilantis sanguinis unda.



N ^o .	Conditio.	Aetas.	MORBUS.	AMPUTATIO.	Eventus.
1	Nobilis.	27	Vulnus sclopetarium cubiti sinistri gravissimum.	Amputatio panniculata humeri.	faustus.
2	Rusticus.	54	Gangræna cubiti sinistri.	Amputatio panniculata humeri.	faustus.
3	Rusticus.	28	Caries articuli cubiti dextri.	Amputatio panniculata humeri.	faustus.
4	Murarius.	44	Fractura comminuta cruris dextri.	Amputatio panniculata cruris in triente superiore.	faustus.
5	Rusticus.	35	Gangræna cruris sinistri.	Amputatio panniculata imi femoris.	faustus.
6	Rusticus.	46	Gangræna cruris sinistri.	Amputatio panniculata imi femoris.	faustus.
7	Rusticus.	26	Osteitis osteophytica tibiæ et fibulæ sinistrae.	Amputatio panniculata imi femoris.	faustus.
8	Scriba.	28	Caries tibiæ sinistrae.	Amputatio circularis femoris methodo Sansoni.	periit.
9	Operarius.	45	Digitus index et medius contriti.	Amputatio panniculata digitorum.	faustus.
10	Mercator.	41	Caries hallucis sinistri.	Excisio hallucis ex articulo.	faustus.

AMPUTATIONES.



Quatuor femoris, tres humeri, unam cruris, tres digitorum amputationes, easque omnes panniculatas fecimus, præter unam femoris, quam circulari sectione peragebamus.

Committendis pannis cruentas suturas fere semper adhibuimus, easque tertio vel quarto die, plerumque recepimus, remota tum primum prima deligatione.

Protegendo trunco amputati artus, eum gossypio tectum, in canalem densiori ex charta paratum, excipere consuevimus: id autem valde esse opportunum ad sustinendos et protegendos pannos opinamur; panni scilicet absque illo canali, ab artus mole comprimuntur, a secto osse vexantur, proprio pondere (in amputatione femoris et alta cruris potissimum) dependent, ideoque in sectum os, se ultro quodammodo immergunt. — Dolabram ad præcavendos trunci spasmos, et ad musculorum retractionem præpediendam, passim adhiberi solitam, non injecimus, quippe quæ regressui venosi sanguinis obstare, congestum ad vulnus augere, curationem magis intercipere, quam adjuvare, profecto videtur: sed adminiculo canalıs, in quo,

tanquam in theca, truncus excipitur, ægri detruncatum membrum subjectis pulvinaribus commode deponunt, inferior pannus minus, vel saltem æquabilis comprimitur, superior multo minus ab osse læditur, arcuatum tegminis fulcrum supervacuum est, singulae vulneris deligationes minus molestae evadunt, aegri facilius situm commutant, facilius ex uno in alterum transferri lectum possunt.

Amputati omnes sanationem receperunt, praeter eum, qui *circularem* femoris amputationem sustinuit, phlebitide et gangraena occisum.

Gangraena quoque, sine vehementiori tamen inflammatione, et sine ullo vel parum gravi symptomate, partem panni anterioris amputati cruris occupavit, cujus vulnus lentius ideo ad cicatricem pervenit.

Ceteris in casibus reactio modicissima, topica vero inflammatio, neque nulla, neque nimia, plerumque fuit: vena in uno tantum casu (femoris) secari, in duobus hirudines admoveri debuerunt.

In casu praecisi cruris, et in uno ex tribus casibus humeri amputati, pariter in casu excisi ex articulo hallucis, vulnus per suppurationem consanuit: in caeteris vero amputationibus, vulnus fere omnino per adhaesivam inflammationem concrevit.

Auxilia praecisis membris admota, vel nulla fuerunt, vel tantum emolliens cataplasmata, vel hirudines si qui major congestus adfuisset, vel aromaticum fomentum, sibiinde balneum: intus vero, debilibus aegris plerumque china, cachecticis kali hydrojodicum datum est.

Spasmos trunci nunquam vidimus: haemorrhagia, quam secundariam dicunt, semel, post humeri scilicet amputationem, exilissima ex arteria contigit, vulnusque diducere cœegit.

Curatio omnium taediosissima et prope difficilior, fuit illa vulneris ab exciso hallucis.

Inter omnes casus, ille adnotatione dignior est, qui morte finivit: insolitam enim, in peragenda eo in casu femoris amputatione, experiri methodum vuluimus, ut omnium minimum vulnus fieret, indeque minus foret periculum: omnium pessimus vero fuit eventus.—Solitam cum pannis methodum non adhibuisse, valdopere piget, mortis enim culpam, in methodo perperam adhibita positam quidem fuisse, credendum est.

Cruris amputati historiam jam tum tradidimus, quum de fracturis locuti sumus: (p. 36) historiam item, tam humeri vulnere sclopetario lacerati, quam duorum manus digitorum machina conquassatorum, jam tum exposuimus, quum de vulneribus sermo fuit: (p. 18) superest igitur, ut reliquarum septem amputationum historia enarretur.

Gangræna spontanea artus superioris sinistri:—symptomata universa gravissima:—venæsectio in maxima sed mendaci hyposthenia:—amputatio panniculata humeri in quadrante superiore:—sanatio celerrima, omnino per inflammationem adhæsivam.

Agricolæ mediæ ætatis, ex agro redeuntis manus dextra doluit, intumuit, neque scio num febris tum adfuerit.

Hebdomade vix elapsa, manum et cubitum et imam quoque humeri partem gangraena occupavit; quare ex vico in Scholam aeger translatus est, decima circiter morbi die, quae fuit 22 Septembris anni 1845.

Versari adeo in malis videbatur aeger quum Scholam ingressus fuiisset, ut proxima mors magis esset timenda, quam sanitas speranda. Vir erat staturae procerae, sed macilentus admodum, tanquam nimiis laboribus et paupertate attritus; extenuatae, flaccidae, propendentes carnes extantibus ossibus haerebant; facies caerulescente quodammodo colore infecta erat; frigidus toto corpore dimanabat sudor, lingua pallidissima, pulsus exilissimi, 140-ies micantes. Respiratio tamen libere aequaliterque procedebat, pectus percussum bene resonabat, non lamentabatur aeger, sed incredibilem quandam indolentiam prae se ferebat, quae, in tanta virium dejectione, adhuc magis imponebat: sciscitatus, nihil pati aiebat, tantum brachium nigredine occupatum, natu magis quam verbis, ostendebat. Gangraenam, quae ultra medium humerum jam processerat, nullus rubor nullusque tumor a vivis distinguebat.

Prima die, vino, nutrientibus jurulentis, et frictione uti, mortuis partibus scarifactis splenia ex aqua creosoti expressa, vivis aromatica fomenta superdare, imperavimus. *Altera die*, revertebatur calor, turgere aliquantis per cutis circa gangraenae limites visa est; sed eadem pulsus, tam frequentia, quam exilitas perstabant. *Tertia die*, calor, lingua sicca, sitis, pulsus 150. *Quarta*, calores majore-

res, aliquis genarum rubor, eadem inde a prima die indolentia: tenuissimi quidem erant et 150^{ies} micantes arteriae ictus, sed aliquid duri et metallici, ut dicunt, inesse illis videbatur, quare ea die, secta vena est. Sanguis perquam phlogisticus fuit, et crustam crassissimam, concavam, contractam, duram obtulit. *Die quinta*, prope incredibilem a venaesectione, in tanta apparenti debilitate, tantaque frequentia pulsus instituta, emendationem vidimus: pulsus scilicet multo minus frequenter micabant, et primum hodie, dolere sibi humerum aeger aiebat; sed mala sibi ominabatur, Scholam relinquere contendebat, et domi mortem obire velle, clamabat. *Sexta die*, pulsus 100, calores modici; lingua tamen adhuc sicca, abdomen flatibus turgidum et aliquantum dolens. *Septima*, ex aqua camphorata flatus prodibant, pulsus infra 100. *Octava*, pulsus 90, calor prope naturalis, aliquod ciborum desiderium, sed nullus adhuc inter vivas et mortuas partes manifestus limes. *Decima*, pulsus frequentia adhuc minor, locus inter gangraenosas et viventes partes hiavit, et multum puris, multumque aëris ex illo hiatu prorupit.

Duodecima die, humerum in quadrante superiore praecidimus, utrumque pannum suturis spisse injectis diligentissime commisimus, et vulneri cataplasma emolliens superdedimus. *Prima et secunda die* post chirurgiam, nulla febris, nullus in vulnere dolor, universa aegri conditio melior.—*Tertia*, suturas omnes removimus, et vulnus apprime adglutinatum reperimus, sic, ut vulneris

oras emplastris sustinere necesse haud fuerit. Subsequentibus diebus, truncum amputatum cataplasmate, quo aliqua pannorum durities discuteretur, fovimus. *Decima*, aeger lectulum deseruit: *decimaquinta*, præcisi humeri truncum prorsus sine tegmine reliquimus, inducta quippe, jam toti vulneris oræ, firma cicatrice. *Quadragesima*, ægrum plenior firmiorque dimisimus, adhibitis postremis hebdomadibus ad reficiendum, cibis potuis quam medicaminibus, extenuatum attritumque aegri corpus. — Vulnus per adhaesivam inflammationem conglutinatum, vix aliquot puris guttas, in toto curationis decursu, reddidit.

Caries articuli cubiti dextri, ab ictu. — Resectio articuli. — Pessima vulneris conditio. — Icterus tertia die post resectionem. — Amputatio panniculata humeri die nona. Sanatio, magna ex parte per suppurationem. — Aeger lente ex morbo convalescens.

A duobus fere annis, ex cubito dextro laborabat miles procerus, annos quinque supra viginti natus, qui ineunte Maio in Schola susceptus est. Hic dolores, qui a contuso olecrano in articulo cubiti se insinuarunt, per integrum annum neglexerat, suisque utcunque muneribus, ægre quidem, fungi perrexerat. Primo scilicet anno post perpessam noxam, delitescens mali nulla externa signa dabantur, dolores duntaxat assidui, et quaedam in motu difficultas articulum tenebant: post annum vero, jam malum laboribus exasperatum, tumore et inflammatione articuli, se manifeste prodiit. Articuli moles sensim

plenior facta est, cubitus pronus et quidquam flexus, prope immobilis evasit, manus extenuata est: circa condylos ulcera fiebant, quae nunquam ad cicatricem spectabant; et per fistulosa itinera in articulum descendente, sanies multa dimanabat. — Mæsta quidem et illaudabilis erat aegri facies, qualis iis, qui diuturnis doloribus conflantur, nondum tamen extenuatæ erant carnes, neque attritæ nimium erant vires, et quamquam justo frequentius pulsarent arteriæ, hectica tamen febris aegrum nondum occupabat.

Articuli autem conditio erat tam gravis, ut profecto nullum, nisi in cultro, fore unquam salutis praesidium potuisset. Quare, corrupta articuli ossa excidere statuimus, etiamsi ulcera ista, quae circa condylos patebant, huicce chirurgiae minus opportunum, equidem hunc casum redderent: sed ad hanc suscipiendam quodammodo hortabantur, sat firmus adhuc aegri habitus, causa morbi traumatica sine diathesi, mirifica illa, quae huic articulo inest, resectionem bene perferendi facultas, et sana adhuc, tam in antica, quam in postica articuli facie, integumenta, quae, non obstantibus illis circa condylos ulceribus contingere, post ossium excisionem vulnus posse videbantur.

Post factam, secundum methodum Moreau, resectionem, methodum scilicet, quam omnibus praestare, innumeris prope exemplis comprobavit celeberrimus articulorum resector *Syme*,¹ plaga insequentibus diebus multam saniem reddebat, livescebat, dolere non desinebat,

¹ *Syme*. Treatise on the excision of diseased joints. Edinburgh, 1831.

ad coalitum nullibi spectabat, nunquam deterosa, saniem tantum, non pus secernebat. Interea, universa quoque aegri conditio altius afficiebatur, urgebant febres, vires languebant, quartam post diem ictericus evasit aeger, ictericam flavedinem tota quoque plaga concepit. — Ita se habebat aeger ad nonam usque diem post factam resectionem, vulnere pessime prospiciente, nondum deteroso, hic illic gangraenoso: tum igitur, jam omnino necessariam, sine ulteriori cunctatione, humeri amputationem, ne pessimum vulnus hominem occideret, judicavimus, eamque eadem die, duobus pannis caesim sectis, (Langenbeck) fecimus. — Sanationi nullum se malum symptoma insinuavit, et vulnere partim per celerem adhaesionem, partim per carni generationem glutinato, post mensem circiter jam ubique inducta erat cicatrix. Reficiendis vero aegri viribus, tum ob duplicem quam sustinuerat chirurgiam, tum ob morbum ictericum, qui supervenerat, labefactatis, amara adhibuimus, neque dimisimus aegrum ante quinquagesimum diem ab ejus admissione, diu enim debilis remansit, diuque pulsui abnormis celeritas inhaesit. — Error fuit resectionem cubiti, ad salvandum artum, tentasse, et amputationem supra articulum statim non fecisse.

Post macerationem, ima pars ossis humeri, et summa ulnae et radii (quae fuerant resectae), se totae echinatae, innumeris, glabris, eminentibus, albissimis, duris spiculis extus hirtae, intus vero rarefactae, fragiles, levissimae, amissis cartilaginibus praebuerunt, et

pulcherrimum nobis obtuerunt pathologicum specimen cariosi articuli humeri, eo simillimum, quod tam pulchre expressum reperitur in opere *Syme* de resectionibus (l. c.), aequae ac in *Chirurgia* ejusdem auctoris ¹.

Crus dextrum olim ob sphacelum infra medium detruncatum: truncus ab inflammatione ossium osteophytica in molem ingentem, fungosam degeneratus.—Amputatio panniculata femoris in quadrante inferiore.—Degeneratio adiposa musculorum surae: ossa cruris insimul adglutinata, et pulcherrimum specimen degeneratio- nis osteophyticae offerentia. Sanatio celerrima, fere omnino sine pure.

Agricolae consistentis aetatis, jam dudum bene valentis, pedem dextrum derepente dolor, et cum inflammatione tumor, nulla manifesta occasione occuparunt, ineunte Decembri ann: 1844. Primos post dies livorem tumor contraxit, cuticula in bullas subatras sublata est, circa decimum, gangraena totum pedem pervasit. Ad mensis finem, cutis supra malleolos circum exulcerata, pus multum secernebat, altus sulcus vivas partes a mortuis separabat, parumque deesse videbatur, quin pes imus suapte excideret. Tum aeger, qui ad sextam usque Januarii diem morbum domi sustinuerat, in proximum Nosocomium Rostoviense se transferri curavit.—Eo ex Nosocomio discessit aeger septem post menses, ex quo amputatio

¹ *Syme*. Principles of Surgery. London, 1842. p. 197.

cruris infra medium ei facta fuerat, quin plaga, per unguenta, emplastra, et caustica, quae fuerant adhibita, ad cicatricem perducī unquam potuerit.

Domum repetentis aegri truncus amputati cruris per iter vexabatur, ulcus exasperatum est, membrum ad genu usque affatim intumuit: quae omnia quum non remisissent, domum vix revisam denuo relinquere, et novo itinere in Scholam se transferre æger coactus est, mense Augusto 1845.

Truncus praecisi cruris, usque ad genu ingentem praese ferebat molem, deorsum quodammodo globosam, magna ex parte exulceratam, ulcere latissimo, duro, carunculis glabris, lardaceis, lucidis, nullum pus, sed humorem serosum fundentibus. Ulceri subesse ossa, in tota longitudine incrassata, et tota spicalis hirta, exploranti specillo patuit. Genu contractum erat, et femoris quoque condyli justo pleniores extabant. Aegri facies, a diuturno morbo, jam cum virore pallida et fere leucophlegmatica evaserat, carnes flaccescentes, vires extenuatae; hectica tamen nondum aderat. Cavitates majores percussae et per aurem exploratae, a labe immunes videbantur: quare paucos post dies, flagitante aegro, femur in triente inferiore amputavimus, pannis caesim sectis. (Langenbeck.) — Sanatio contigit felicissime, magna ex parte per conglutinationem promptam, absque hirudinibus et absque venaesectione, tantum cataplasmate. Dimitti ante trigesimam diem aeger potuisset; ne vero in itinere recens cicatrix vexa-

retur, post quodragesimum diem a curatione manumissus est, et per hoc tempus, pannos se se contrahere, firmiores fieri, ad sphaericam figuram magis accedere, cicatricem tandem pannis interpositam, inter utrumque quodammodo delitescere, vidimus.

Crus exploratum mutationes pathologicas obtulit notatu dignas: suræ musculi prorsus adiposam induerant naturam; tibia vero et fibula insignem crassitiem offerebant, utraque ossa deorsum invicem erant adglutinata, eorumque superficies tota erat spiculis hirta, in superiori parte longioribus et magis extantibus, in infima vero confertissimis. Canalis medullaris erat amplissimus, et totus sebo infarctus.

Sphacelus cruris sinistri.—Excisio cruris ex articulo genu.—Pessima vulneris et ægri conditio.—Amputatio femoris panniculata, quarta die.—Sanatio per inflammationem adhæsivam.

Sphacelus ignota ex causa, antrorsum ad genu fere usque, postrorsum ad mediam usque suram crus sinistrum invaserat pueri, annum decimum quintum agentis, qui ex agro Poltaviensi in Scholam transvectus est 26 Aprilis 1846. Debilis et emaciatus puer, per duos jam menses lectulo affixus absque auxilio miserrime jacuerat, mortuis carnibus a vivo prorsus sejunctis et fere exsiccatis, ossibus ad palmae latitudinem infra genu prorsus nudis, necroticis, nigris. Nudam et necro-

ticam fibulam in itinere aeger confregerat. Exilis et celeris erat pulsus, cutis subsicca, lingua pallida: alvus tamen rite respondebat, cibos non aversabatur aeger, neque tussiebat. Ora cutis supra demortuas partes carunculis obsessa, tibiae tuberositates amplectebatur, et multum puris subter reddebat, perinde ac si natura, degenerati cruris ex articulo secessionem jam moliretur. Quapropter, inchoato jam ab ipsa natura processui arte succurrere consultum duximus, et tibiam *ex articulo*, secto postrorsum panno, excidimus, vulneris oras, tam suturis, quam taeniis adunavimus, plagam pro more proteximus.

Ea die et altera multo majoribus, quam fieri plerumque post amputationem consuevit, doloribus vexabatur puer, noctem implacide tulit, pulsus exiles et nimium celeres (125), cœnaesthesia mala. *Tertia* die, eadem pulsus exilitas, et adhuc major frequentia; assidui in genu dolores somnum diu noctuque proripiebant: vulnus aridum erat, ejusque orae, nullibi cohærentes, livescebant. *Quarta*, omnia pejora, in vulnere dolor, nulla adhæsiō, ubique livor, sanies, nullus turgor, condyli femoris, recedentibus vulneris oris, improtecti, facies mirum quantum hodie mutata, cum virore pallida, luctuosa, oculi abacti, ominosi, pulsus 140. Quum praesentissimum igitur jam esset aegri periculum, nulla interjecta mora, vulnus pessimum e medio tollere, eique vulnus recens, simplicius, et ad concrescendum magis aptum substituere, statuimus,

protinusque ægro, etsi viribus mirum quantum defecto femur circa medium, duobus pannis praecidimus. — Siluerunt post amputationem dolores, sequentibus diebus funestum habitum facies deposuit; quotidie rarius pulsus micavit, vulnus magna ex parte sine pure jam primis diebus egregie concrevit, discessitque æger quadragesima die ab amputatione, confirmata cicatrice, viribus reffectis, et pleniori habitu. — Huic postremis hebdomadibus chinæ usus manifeste profuit.

Gangræna cruris sinistri. — Amputatio panniculata imi femoris. — Coalitus pannorum per inflammationem adhæsivam. — Femur in tertiam usque hebdomaden tumens. — Pus per tres menses ex cuniculo intermusculari, de parvo cicatricis hiatu, effluens.

Rusticus annos sex supra quadraginta natus, robusti corporis, decem mensibus abhinc, altum vulnus in sura sinistra cultro excepit, et tantam sanguinis copiam inde amisit, ut animo linqueretur. Vehementissimam in toto crure inflammationem vulnus, vetulis curatum, concitavit, hominemque lectulo per duos circiter menses detinuit. His elapsis, lectum quidem relinquere, agrestibus vero laboribus non nisi post longius tempus interesse potuit, eo scilicet crure circum cicatricem semper livescente, et moleste pruriente. Mense abhinc circiter, infeliciter contigit, ut novam in eodem crure eamque vehementem contusionem vir sustineret, post

quam, inflammatio gangraenosa pedem imum et crus, ad mediam usque suram, occupavit: quamobrem in Scholam transvectus est, incunte æstate anni 1846.

Pedem imum, et imam cruris partem nigerrimam exhibebat, latissimum ulcus gangraenam a vivis separabat, et sub eo jam nuda ossa prostabant: funginæ carnes ossa amplectabantur, et molles partes supremi cruris, quibus gangræna pepercerat, mirum in modum erant incrassatæ et duræ.

Huic vix accepto femur in triente inferiore, exciso utrinque panno, præcidimus; vulnus suturis nodosis spisse injectis consumimus, pro more truncum præcisum proteximus, et in canalem injecimus.

Ad *sextam* usque diem, quum omnia optime procederent, nec dolorem aeger in vulnere sentiret, nec febres urgerent, apparatus non removimus: eo sexta die recepto, totam vulneris oram firmiter conglutinatum invenimus; quamobrem, omnes suturas recepimus, et nulla adhibita tænia adhæsiva, truncum gossypio protectum, in canalem iterum injecimus. *Septima* die vero, femur sat conspicue tumidum se præbuit, fere sine dolore tamen, sine oedemate, et sine rubore cutis, sed cum quadam justo majori pulsus celeritate: musculorum inflammationem timentes, venam secuimus (sanguis cum crusta) et magnum cataplasma femori superdedimus. — Femoris tumor per integram hebdomaden sine decremento perstitit, nec nisi tertia exeunte, prorsus subsedit: per hoc tempus, sat commode

se habere videbatur aeger, facies ejus semper sincera remansit; bona quoque erat coenaesthesia, sed donec femoris inflatio prorsus non recessisset, hominis arteriae nunquam infra 100 pulsarunt. Vulneris coalitum nunquam ruptus est, tantum in infima pannorum conjunctionis ora foraminulum hians remansit, ex quo, femur quodammodo emungendo, pus quotidie exprimebamus. Pus vero, non ex vulnere, quod erat conglutinatum, sed ex ipso femore proveniebat; hujus scilicet intermuscularis cellulosa tela purulentam inflammationem conceperat, quæ intermusculari fistulæ originem dederat. Hujusmodi fistula pertinax fuit, pus enim, usque ad finem tertii mensis a facta femoris amputatione, emisit. Auxilia adhibita, fuerunt, declivis artus situs, frictio jodata, et balnea longæ moræ.

Caries et hypertrophia tibiæ sinistrae. Amputatio femoris circularis, methodo Sansoni.—Phlebitis.—Gangræna musculorum femoris. Mors duodecima die.

Septimum ætatis annum agebat vir quidam, modo tricenarius, quum forte lapsus, sinistram sibi tibiam circa medium vexavisset. Hujuscemodi noxa, perpetuorum fere, et prope quotannis redeuntium malorum causa fuit, imo, ipsam viri praematuram mortem induxit, etiamsi corporis compagem firmam et bonam, et ad longaevitatem quodammodo comparatum habitum prae se ferre vir videretur. Contusa tibia, jam primis calamitatis hujus mensibus tumida evasit, cutis in

abscessum sublata est, quo rupto, osseae testae seceserunt. Tum consanuit quidem ulcus, ast identidem sese supra tibiā attollebant abscessus in fistulas abeuntes, ex quibus, osseae festucae vel sponte excidebant, vel ab ipso aegro removebantur. Morbum ita, ad annum usque aetatis vigesimum circumferebat aeger, quin altius corporis habitus affici videretur. Octo vero postremis annis, num a refrigerato per hiemes algidas crure, num a contractis syphiliticis ulceribus, (ex quibus tamen recte curatus fuerat,) num, et vel maxime, a renovata semel iterumque illius tibiae contusione, malum exasperatum est, dolores fere perpetui crus tenebant, cutis in ulcus praemagnū degeneravit, vastior tota tibia evasit. Per hoc tempus, variis in Nosocomiis diu moratus est aeger; quum vero malum sensim ingravesceret, neque amplius eo cruri insistere posset, ex Caucasicis provinciis, quas habitabat, Scholam adivit, 26 Septemb: 1845.

Pes imus et malleoli, et tota quoque posterior pars cruris naturaliter se habebant: sed tibiae diaphysis erat hypertrophica, et circa medium, in tumorem eminebat exulceratum, quod ad os descendebat corruptum, asperum, in craterem quodammodo excavatum, et totum funginis carnibus obscessum: sanies pure confusa ex ulcere dimanabat, et assidui dolores, aegrum crudeliter divexantes, ossi degenerato haerebant: febris aberat.

Ulcere circum exciso, et osse ita, quatenus affectum erat, nudato, malleo et scalpro quidquid in eo

corrupti visum est excidimus, intus vero et extus, kali hydrojodicum adhibuimus. Dolores dudum in tibia haerentes, brevi post, siluerunt, pus laudabile plaga reddidit, contractior sensim evasit, et ad cicatricem spectare subinde visa est: post quartum tamen mensem, nondum inducta ulceri integra erat cicatrix. Aegrum ita, postquam in Schola quatuor menses transegerat, allevatum quidem, nullatenus vero sanatum dimisimus, ne forte longior per hiemem in aulis clinicis mora, ei noxia, ut fit, evaderet.

Ast mense vix elapso, omnia deteriora fiebant, funginae carnes iterum ex osse se se attollebant, novi nascebantur abscessus, dolores atrocissimi revertebantur, inordinatae movebantur febres, totusque aegri habitus sinistram quamdam notam concepit: quare, flagitante quam maxime aegro, qui in Scholam iterum accipi desideravit, femoris amputationem quidem suscepimus, sed invito quodammodo animo: huic enim suscipiendae, inde a prima die, nescio qua pietate aversabamur.—Infra femur crus praecidere vetabant signa mali ad ipsa quoque tibiae capita jam propagati, dolor quippe, et major tuberositatum tibiae moles.

Quum robusti aegri femora valde essent carnosae, amputationem infima in parte suscipere voluimus, methodo quidem non communi, per quam scilicet, nullae prope carnes in vulnere prospectui veniunt, sed vulnus cavitatem fere totam cellulosam, promptae adhaesioni (specie saltem tenuis) quam maxime opportunam, praebet:

haec methodus *Sansonio* propria dicitur, eaque a *Pigné*, *Chirurgiae Chelii* in gallicum sermonem translato-
 tore, descripta invenitur¹. — Cutem igitur genu ipsius,
 mox *infra patellam*, in orbem secuimus, eam a con-
 dylis aequae ac a patella solvimus, tendinem extensoris,
 itemque tendines, qui a lateribus genu transcurrunt,
 praecidimus, tandem femur mox supra condylos de-
 truncavimus. Vulnus ita extitit *sine carnibus*, cui an-
 trorsum superior pars *synovialis capsulae adhaerebat*;
 illius oras suturis commisimus, splenium et gossypium
 superdedimus, tandem truncum membri in canalem
 conjecimus.

¹ Si on veut pratiquer l'amputation à la partie inférieure du fémur, il faut reconnaître d'abord l'articulation du genou; un aide, embrassant à deux mains le genou, attire la peau en haut; le chirurgien fait, à travers la peau et toutes les parties molles *au-dessous* de la rotule, une incision circulaire perpendiculaire à l'axe du membre, comme s'il voulait pénétrer à plein tranchant dans l'articulation. La peau, qui est un peu adhérente sur les côtés des condyles, est détachée et relevée, et toute la partie inférieure du fémur se trouve dépouillée à la hauteur que l'on désire sans qu'on ait coupé autre chose que la peau et des tendons, c'est-à-dire, des parties peu susceptibles d'une violente inflammation. Toute la face antérieure du lambeau circulaire est tapissée par la synoviale, qui a une grande tendance à l'inflammation adhésive. La rotule peut être enlevée si on le veut; mais nous croyons, avec Sanson, qu'il vaudrait mieux la conserver, parce que, sa face postérieure étant appliquée sur le moignon de l'os, et sa face antérieure étant déjà adhérente, elle peut servir de point d'appui à l'os, qui n'est plus exposé à intéresser la peau. *Traité de Chirurgie par Chelius, traduit de Allemand par J.-B. Pigné. Tome II. Pag: 459—(2432).*

Primis diebus, traumatica febris vix conspicua fuit, lingua humida et pallida remansit, nullus fere abnormis calor, sed sine calore sudor, tetrica et lurida facies, pulsus ultra 100, et perpetui acerbique in vulnere dolores quietem et somnum surripietes. *Die quinta*, deligationem primum removimus; panni non tuebant, sed a subter congesto et recluso latice exstabant, et subjectis partibus nullibi adhaerebant: remotis suturis, ex vulneris cavo ultra poculum dimidium serosi subrubri laticis, qualis in articulorum hydrope congeritur, profluxit—Sequentibus *quinque* diebus vulnus pus nullum reddebat, panni insolitam rigiditatem concepisse videbantur, rupto, qui inter vulneris oras hic illic aderat, coalitu, vulnus totum hiabat, siccum, cinerei prope coloris erat. Acerbissimi tam in vulnere quam imo in femore dolores nunquam recesserunt, femur, sine ulla in cute mutatione sed cum duritie, valde tuebatur, contrectatum valde dolebat: interea, vires ægri quotidie magis collabebantur, pulsus imbecilles 115-ies micabant: lingua autem, nunquam fuit sicca sed semper pallida et mollis. *Decima* die, idem in vulnere et in femore quoque dolor, femur ad inguen usque tumidum, cutis ejus œdematosa, pallida; locus tantum circa finem musculi bicipitis ex livido ruber dabatur, ubi molities quædam, quasi mendax fluctuatio, percipi poterat: eo in loco, latam, per carnes bicipitis ad os usque penetrantem, plagam infliximus, nil vero puris et nil quoque sanguinis effluxit, carnibus illis sine

sensu, plumbei coloris, gangræna scilicet jam occupatis — facies ægri quavis die magis ominosa, livida, tetrica et superciliosa fiebat, frigidi sudores toto corpore dimanabant, subinde horrore, nunquam æstu occupabatur æger, pulsus præcipites et subterfugientes evaserunt, die duodecima integris sensibus mortuus est.

Autopsia. — Secto cadavere, plagæ superficiem totam pseudomembrana obductam vidimus, a concreto in illa pure, cinerei, luridi coloris. Venæ circa plagam et in ejus superficie erant sanguine turgidissimæ et intus rubræ, ruberrima saphena et femoralis, itemque inflammata adfecti lateris vena iliaca, usque ad cavæ inferioris initium. Musculi omnes femoris in triente inferiore erant gangrænosi, et supra limites gangrænæ circa medium femur prærubri, turgidi, quodammodo apoplectici, duri, in nonnullis quoque locis, ab infarcto inter fibras eorum spisso pure, variegati. (pus infiltré). Pus vero phlegmonosum nullibi erat effusum neque in textura scilicet musculorum, neque in tela intermusculari, quæ pariter necrotica erat. Sub sectione, valde in oculos incidebat differentia inter texturam emollitam, plumbei coloris, quodammodo fracidam musculorum gangræna affectorum, et ruberrimum illorum turgorem superne circa medium femur. Pars capsulæ articularis superficiem vulneris adhuc adhaerebat quin valde mutata videretur, colorem scilicet pallidum, naturalem, referebat; sed inflammatissimus erat cellulosus textus pericapsularis, ex quo fortasse

totum malum sursum ad musculos se se diffuderat. — Accidisse quodammodo videtur in hocce casu id, quod saepe accidit in vulneribus genu penetrantibus, in quibus, ut recte monuit *Pirogoff*, plus quam inflammatio ipsius capsulae articularis, timenda est inflammatio quae in musculos femoris et in cellulosa[m] telam se se diffundit ¹.

Amputationem secundum illam methodum fecisse, vel saltem, praeciso femori adhaerentem capsulae articularis partem, non excidisse, piget: conditio enim aegri ejusmodi erat, ut profecto valde verisimile fuerit eum sospitem evasurum fuisse, ubi communis panniculata methodus fuisset adhibita.


Caries phalangam hallucis sinistri. — Amputatio ex articulo — sanatio lenta per suppurationem. — Cuniculi purulenti in dorso et in planta pedis — incisio sinuum. — Sanatio jodio absoluta.

Mercatori trigesimum quintum annum agenti, macilento et cachectico, jam pluries syphilide labefactato, carie adfecta erat tam prima quam secunda phalanx hallucis dextri. Cutis circa ossa erat corrupta, incrasata, atque lardacea; ad cariem fistulosa intinera descendebant; cruris et femoris dolores acerbi hominem jamdudum lectulo affixum, divexabant. — Huic, intus Kali hydrojodicum ad plures menses sumendum exhi-

¹ Pirogoff. *Annalen der Chirurgischen Abtheilung des Clinicums der K. Universität, Dorpat.* 1837, p. 33.

buimus, corruptum vero hallucem ex articulo excidimus, secto extrorsum panno ampliore, qui vastum metatarsi caput apprime contegeret.

Prima et secunda hebdomade, vulnus per puris generationem quotidie magis ad coalitum tendebat, neque nimia, neque nulla erat vulneris inflammatio, cataplasmate vulneri prospectum est. *Tertia*, vulneris ora jam erat adglutinata, excepta superiore particula, in qua, carunculæ pus adhuc reddebant: omnia proximam sanationem pollicebantur, dolores quoque crurum et femorum prorsus recesserant. Ast quarta hebdomade, vulneris vel potius cicatricis color alienari cœpit, livescere et circum succendi cutis, purulenti sinus sub cute in dorso metatarsi se insinuarunt et ad internum quoque pedis latus se latius propagarunt. Hos sinus, incisis contra plagis, evacuare, pus diligenter et sæpius exprimere, pediluvia kalina adhibere, diu tandem et affatim frictione ex plumbo jodato uti opus fuit, prius quam prava pedis conditio emendaretur, alienata phlogosis recederet, cuniculi purulenti implerentur, puris fontes prorsus siccescerent, cutis naturalem habitum indueret et subjectis ossibus firmiter adhæreret: quo in opere tres et ultra impendi menses debuerunt. — Frictiones ex plumbo jodato perspicue profuerunt: intus autem, kali hydrojodicum domi in quintum usque mensem æger sumpsit, quo auxilio, ab omnibus pristinis, quibus dudum afflictus fuerat, malis, se vindicavit.



MORBI CAPITIS,
AURIUM,—NARIUM,—LABIORUM,—ORIS,
FAUCIUM,—COLLI.

MORBI CAPITIS.

Fracturæ. — Vulnera. — Tumores. — Commotio cerebri. — Caries ossis frontis. — Caries mastoidea.



Fracturas cranii duas habuimus lapsu ex curru exceptas, alteram in homine, in adolescente alteram, utrasque mortiferas. — Vulnerum, pariter a lapsu citra ossis læsionem in cute cranii exceptorum, duo præsto fuerunt exempla, quorum alterum in puero trimo contusum quum fuisset, aliquot post menses artuum inferiorum paralysin induxit. — Cysticos in glabella, circa tempora, in vertice hærentes tumores, quorum unus lapicondis fuit, quatuor exstirpatione curavimus. Horum vero morborum jam tum mentionem fecimus, quum de fracturis, de vulnibus, de tumoribus denique, sermo fuit. Superest tantum, ut casum unum commoti cerebri, alium cariosi ossis frontis, breviter exponamus.

Commotio cerebri—vomitus et epistaxis—venæsectio superveniente reactione—symptomata cerebralia, tertia die recedentia.

1^a Martii 1846 rigentibus adhuc gelu aquis, ex ponte (Netetch) in subjectum flumen plebejus mediæ aetatis cecidit, protinusque sensus amisit: posteaquam per horam exanimis supra glaciem jacuisset, in scholam translatus, algebat, toto corpore tremebat, pallidus erat, sopore obrutus jacebat, ei arteriæ vix saliebant. Post horam circiter, vomuit æger, et sub vomitu sanguinis dimidium fere poculum ex naribus ei stillavit: post tertiam a meridie, vomuit iterum, jamque naturalis reverti calor cœpit. Circa septimam, ex sopore momento excitari visus est, gemendo capitis dolorem querebatur, dein vero pristinus sopor occupavit.—Nocte calor febrilis, facies accensa, iniquies, identidem dentium stridor, pulsus pleni (90). (Vena secta est—clysma—fomenta frigida capiti admota). Post mediam noctem biliosa vomuit iterum, mox pristino sopore obrutus. *Alter*a die, sopor valde levior hominem opprimebat, concussus excitabatur, capitis dolorem querebatur, seque ultro identidem ex altero in alterum latus convertibat, pulsus subduri (90): (hirudines 30 capiti affixæ).—*Tertia* die, prorsus resipuit æger, quæ sibi evenerant sciscitabatur, seque alieno in loco jacentem mirabatur: aliquis tantum capitis dolor adhuc tenebat, magnam vero diei partem extra lectum transegit.—Exeunte *quarta*, tamquam illæsus domum repetiit.

Caries ossis frontis et tibiæ syphilitica, Kali hydrojodico curata.

Tam in media fronte quam in media fere tibia dextra, chronicum, a duobus scilicet mensibus, cum nocturno dolore natum abscessum, dimidiatam prope nucem aequantem, ancilla gracilis gestabat, quae tamen virum nunquam agnovisse contendebat. Utroque tumore inciso, subjecta ossa necrotica, periosteum vero incrasatum et in lardaceam fere massam degeneratum, vidimus. Plaga multum intumuit, valde intumuit quoque degeneratum periosteum, candidum fere evasit, periit, et moto jam affatim pure, decimum circa diem, albidæ et crassæ escharæ ad instar, discessionem fecit.—Post mensem, discessionem quoque os fecit summum et carunculas emisit, quae cuti adhaerentes cicatricem receperunt. Aegra Kali hydrojodico et cataplasmatibus, curata est.

Puella trima, et vicenarius juvenis carie affectam habebant summam apophysin mastoideam: his vero semel tantum accedentibus, morbum cognoscendi, nequaquam vero curandi, nobis facultas fuit.

MORBI AURIUM.

Ecchymoma auriculæ. Protervo adolescenti, cui herus pridie aures vehementer convellerat, adeo deformata erat auriculæ dextrae figura, ut reniformis fere farci-

minis adinstar turgida, aequalis, nullibi cavernosa exstaret: coloris erat ex pallido livescentis, attactu submollis, perinde ac si latex quidam lentus subter haesisset. Puncto deorsum tumore, sanguis ater, partim liquidus, partim concretus prorupit, tumor protinus subsedit, naturalem formam pinna recepit. — Aliquot per dies, aliquantum puris ex inflicto deorsum vulnuscule profluxit, adhibita vero humida compressione, cutis tam a fronte quam a tergo, cartilagini iterum adhaesit. — Fuit exemplum, oppido rarum, ingentis ecchymomatis auriculae.

Tumor fibrosus lobuli auris ex cicatrice a punctione lobuli ter incassum reiterata, excrescens. — Excisio.

Tumorum ex infima perverse perforata auricula quandoque excrescentium, quorum non ita pridem nonnulla exempla publicavimus, ¹ novum exemplum hocce item anno vidimus. et extirpatione curavimus. — *Puellae rusticæ* annum quartum decimum agenti, per omnia sanae, circa decimum aetatis annum, appendendis, pro more, inauribus, aurium lobulum parentes perforarunt, statimque in aures injecerunt. Sequentibus vero diebus, vulnus doluit adeoque intumuit, ut puella in aures prae dolore rejiceret, vulnusque conglutinari sineret. Jam tertius vix labebatur mensis, quum puella inaurium ornamenta impense desiderans, natu primam sororem

¹ *Annales de Chirurgie*, T. XI. Juin 1844.

adigeret, ut pone pristinam cicatricem, quae valde eminebat, novam perforationem susciperet, rursusque annulum conjiceret. Ast magnus iterum ex vulneris inflammatione dolor motus est, puella denuo annulos deponere coacta est, iterumque ex cicatrice parvus nodus obortus est.

Neque tamen, jam reiteratum et semel iterumque irritum conamen, puellam a proposito dimovit, quae inaures quoquomodo sibi voluit appendi: tertium igitur lobulos sibi pertundi curavit, tertium improspere eodem eventu. Injectam enim iterum, mox rejicere fibulam debuit; vulnus iterum concrevit, et ex tertia cicatrice, tertium tuberculum pullulavit.

Atque ita, non pensilibus ex auricula margaritis, sed utroque lobulo terna tuberositate insignito, jam decimum quartum aetatis annum puella attingebat. Per hoc tempus, terna lobuli sinistri tubercula nullum incrementum coeperunt; dextri vero lobuli tubera, in postica ejus facie increbuerunt paulatim, et ex mutua eorum, assidue latescentium, fusione, unum, illudque magnum tuber exstitit, majorem myristicam nucem magnitudine æquans, imo superans. Tumor naturali cute contegebatur, duritiem fere fibrosam referebat, non dolebat, mole sua dumtaxat aurem singulariter deturpabat, totam lobuli amplitudinem, cui a tergo quodammodo erat adglutinatum, occupabat.

Tumore deorsum attracto, lobulum obliquiter uno forficum ictu excidimus, vulnusculum humentibus carbasis

proteximus, et aegram, aure ita paululum decurtata, sexta die, sicca jam plaga, dimisimus.

Tumorem fideliter figuratum exhibet fig. 24 Per medium sectus, internam texturam obtulit albam, densam, uniformem, duram, ad tumores vel fibrosos referendus, vel ad sarcoma simplex; nisi forte alicui, ad Keloidem pertinere hujusmodi aurium tumores, videantur.

Polypus in meatu auditorio fibrosus. Puellae decenni, auriculae dextrae concham implebat polypus subrotundus, albissimus, qui alte in meatu auditorio haerens extra illum, in subrotundum tuber latescebat. Circa polypi collum stamen plenius, quo extrorsum et deorsum attrahi potuisset, injecimus, et polypum forcibus obtuse mucronatis altius adactis, ex radice evellimus, atque plagam lapide caustico ambussimus. — Præterire mensis debuit donec nil puris ex meatu proflueret, et plaga cicatricem indueret. Auxilia fuerunt, injectiones creberrimæ infusi chammomillæ, et solutionis sublimati corrosivi, reitratatus identidem plagæ tactus cum lapide infernali, internus et extrernus Kali hydrojodici usus.

Siliquæ dulcis semen in meatu auditorio impactum, cochlearculo *Davieli* sine labore excuti potuit. — *Surditas*, cum absumpta, post diuturnas otorrhœas, tympani membrana, semel occurrebat. — *Otorrhœa*, in adolescente scraphuloso antiqua, cum aspera et fungina interna meatus superficie, injectionibus tum ex

lapide caustico, tum denique ex sublimato corrosivo, non prius cessit, quam intus Kali hydrojodicum, extus unguentum hydrojodatum collo infricandum, ad plures menses adhiberetur. — Facilius cessit in juvene jam maturo *Baryecoa* a turgore tonsillarum et proximæ Eustachianæ tubæ, quarum scilicet partium chronicam phlogosin dissipavit creber gutturis lapide infernali tactus, et unguenti Kali hydrojodici collo inuncti diligens et per menses plures protractus, usus.—*Auriculæ* pinna, etsi excarnis, quatenus tamen tumefieri ab inflammata subcutanea cellula, quandoque consuescat, in femina quadragenaria vidimus, cui ab erysipelate ex gena in aurem prepagato, auricula incredibili cum ardore mirum quantum intumuerat. Huic, emetico et salibus perpurgatæ, solvendo celerius auriculæ tumori conspicue profuit penicillo, tinctura jodi gravido, auriculam affatim, bis die, oblinire.

MORBI NARIUM.

Polypus narium spurius. Contingit quandoque, Schneiderianam tunicam, qua parte extremum os turbinatum inferius obvestit, quodammodo turgentem et laxiorem videre, quod vitii, cum lenta plerumque phlogosi procedentis, aliquam per nares spirandi difficultatem sociam habet, et nondum exercitatis medicis pro polypo

solet imponere. Hujusmodi noxæ exemplum præbuit juvenis quidam civicus, qui ad subeundam polypi extirpationem, in scholam missus est. Verus autem polypus naribus nequaquam inerat, mucosa dumtaxat nasalis extremo ossi turbinato instrata, erat relaxata et tantisper propendens, atque aeris per illam narem ingressus, tum ab illa eminentia, tum ab universo turgore chronico Schneiderianæ tunicæ, quidquam erat impeditus. Huic, hirudines identidem naribus affigere, suasimus.

Polypus mucosus narem dextram implens, et ex illa postrorsum in fauces, antrorsum supra labium dependens — extirpatio — sanatio sine ullo gravi eventu.

Puero octenni, totam narem dextram prægrandis polypus implebat, imo, propter nimiam magnitudinem, in illa intercapedine capi nescius, antrorsum extra nares, postrorsum in fauces dependebat. Polypus, mole magis quam natura infensus, subalbi coloris, elasticus, ex tenaci quadammodo fibrina conflatus, deorsum ad os usque protrahi poterat: eum igitur extra nares vinculo illaqueatum, foras, quam fieri potuit, temperate produximus, et forcipe altius adacta de more eradica- vimus. Tum vero, supinum indicem sinistrum in fauces immissum sequentes, propendentem eo loci polypum, incurva et dentata forcipe, arripuimus, integrumque, temperate torquendo, evellimus.

Uterque polypus ex una radice natus, fere cylindrum a lateribus compressum referebat, a naris itinere

scilicet formam acceperat, et qua parte ex illa, tam antrorsum, quam postrorsum prominebat, in globum se se diffuderat.

Puer carationem egregie sustinuit, et paucos post dies rus remeavit.

Polypus pessimæ naturæ choanis hærens.—Hæmorrhagiæ reiteratæ.—Sanatio insperata per spontaneam polypi gangrænam.

Multo graviolem polypum, circa choanas faucibus hærentem, gerebat puer arti sartoriæ deditus, annos natus quindecim, qui, reiteratis tam per nares, quam per os hæmorrhagiis, squalidus et extenuatus, in schola susceptus est 16 Jan: 1846.—Inde ab Augusto mense anni 1844, ad Februarium subsequentis anni, sibi coryza laborare puer visus fuerat: tum vero, altius in naribus, assiduus dolor subortus est, et postmodum sanguis et amurca ex ore, cum levamine, profluxerunt. Dolor autem paulo post recrudit, caput quoque occupavit, et aeris per nares commeatum, jam malum interclusit. His ingravescentibus, calere et febrile circa Decembrin an: 1845 cœpit puer, eumque cephalæa graviter divexatum, fere quotidianum ex naribus et ore sanguinis profluvium in summam debilitatem conjecit. Primis Januarii diebus carneum quodam corpus, cum ingenti sanguinis jactura, ex ore provolutum est; inde perterriti parentes, in scholam puerum deportarunt.

Labantes ægrī vires facidis et amaris sustinere, sanguinem secale cornuto sistere, satagemus: primis vero diebus, ne gravius denuo moveretur sanguinis profluvium, fauces vix explorare ausi sumus. Aeger nulla remissione cablebat, propter dedilitatem vix se in lectulo erigere valebat, pulsus exilissimi 115^{ies} micabant: quarto demum die, quum fauces cautissime inspiceremus, eas, massa quadam molli, fracida, tremula impletas esse, digito intelleximus, quam, vix arreptam, totam gangrænosam et putrefactam eduximus. Insequentibus diebus, sanguinis fluxus substitit; sed perseverabat febris, ægrī vires vix reficiebantur, et supremis faucibus carnes adhuc hærebant, quæ spiritum, etsi minus quam antea, tamen adhuc intercipiabant.—Hæc fere erat, post tertiam hebdomaden, pueri conditio, quum parentes ejus eum e Schola domum maluerint recipere, quam sustinere, ut extra domesticos parietes mortem obiret. Et re quidem vera, periturum iri ægrum utique credidimus, quippe qui pessimo polypo, de genere scilicet lethalium, laborare, nobis visus fuerat; nec sperare licuit, gangrænam, ex radice malum abstulisse, hærentibus adhuc illis in fauce, mali reliquiis. — Eventus vero, tam felix fuit, quam falsa prædictio; puer enim, domi sospes evasit, eumque paucis abhinc diebus (quinto a curatione mense) arcessitum, ut spectationi esset, tam mutatum ab illo vidimus, qui tum fuerat, quum morbo oppressus in schola jacuisset, ut alium fere præ oculis habere hominem, prope opinaremur. Spiritum per nares libere trahebat, digitusque

per os sursum in fauces adactus cicatricosa et aliquantum incrassata illa loca reperit.

Narium polypus a contusione.

Equiso quadragenarius in urbe notissimus, quum forte quinque abhinc annis, obscura nocte surrexisset, nasum in obversam mensam tam vehementer impegit, ut, tam dolor quam tumor vexati loci ad mensem perstiterint, etiamsi, provide monente medico, mercuriali litu usus fuerit. Jam restitutus, suscepto, ut ajebat, refrigerio, se naribus iterum dolor insinuavit, quem pariter mercuriali litu dissipavit. Post annum circiter, coryza intervenit, quam æger in sudario populari dispellere sperans, adeo e contra exasperavit, ut in diplopiam quoque incidere: neque ab illo ad hoc usque tempus, coryza prorsus immunem equiso se unquam sensit, ea quotannis per hiemem ingravescente, per aestatem remittente. Ab anno circiter, ei identidem contingit, ut repentinis, per varias corporis partes transcurrentibus dolorificis concussionibus, tanquam ab electrico fluido, percellatur: distrahentes in dorso et circa lumbos dolores quoque, cum alvi obstipatione quandoque hominem vexant. — Sex abhinc mensibus, aestate scilicet, quum in proximum monasterium Kurisch serena die profectus esset, repente diplopia et vertigine occupatus est, quibus ut occurreret, insimul ac petatum locum festinanter attigerat, latice fontis ge-

lidi, ibidem ex monte prosilientis, caput sibi perfudit: inde vero, alteram post horam saevissimus utraque brachia dolor occupavit, qui non recessit prius quam se lecto committeret, et adjuvante frictione sudorem eliceret. Inde ab illa die, aërem per narem dextram haurire amplius non potuit æger, et stato ordine, a nona scilicet ad tertiam post meridiem horam, cephalalgia frontalis quotidie hominem adoriri consuevit, isque dolor ad hodiernam usque diem perseveravit, ea tantum differentia, ut nunc, a media nocte ad horam usque certissime primam, virum impetat.

1^a Martii, accedentis in scholam aegri narem polypis impeditam invenimus: hos omnes, quatuor autem erant modicae magnitudinis, consueto more, sine labore, forcipe eradicavimus, quin inde aliquid incommodi sequeretur. Aegro autem hirudines internis naribus identidem sibi admovere, externis plumbum jodatum illinire suasimus, et hucusque, (mense Septembri) nulla pristini mali signa apparuere.

Rhinitis. — *Ulceræ* — *corpus impactum* — *verruca canceratica* — *telangectasia narium.*

Chronicam alarum nasi inflammationem cum earum sclerosi, chronice quoque inflammatam indeque induratum et incrassatam membranam narium internam aliquoties, cum primis in pueris scrofulosis, vidimus. — Adolescenti, chronice inflammata erat membrana schneideriana: malum, dubio procul, ex nare in lacrymalia itinera pro-

pagatum sacci lacrymalis blennorrhœam concitaverat, propter quam, æger in scholam se contulit. Nil omnino morborum in tota oculi conjunctiva se prodebat, sed morbi originem in naribus haerere, mox invenimus: his igitur totam curationem direximus, sæpius hirudines naribus affiximus, unguentum kali hydrojodici collo inunximus, intus quoque kali hydrojodicum exhibuimus, naribus infuso aromatico et saccharo camphorato pro suffitu topice providimus, imo, schneiderianam lapide infernali aliquoties alte tetigimus, atque ita malum delevimus, restituta lacrymarum itineri naturali libertate: curatio autem, in tertium mensem usque, protrahi debuit. Casus docuit, in morbis viarum lacrymalium oculos remediis divexari haud semper debere, mali causa alibi, et potissimum in naribus, subinde haerente ¹.

Neque defuerunt exempla narium ulcere scrofuloso magnam partem absumptarum: in uno casu pinnam et lobum quoque, morbus prorsus absumpserat; in alio, cartilago tantum media erat exesa, et lobus inde cum pinnis collapsus, desederat. — Canceraticam verrucam, dextrae narium alae seni cuidam insidentem, prius forfice excidimus, tum radicem ejus Zinco muriatico exedimus, et plagam, ad bonam cicatricem perduximus. — Faseolus in dextra nare pueri ab aliquot hebdomadibus impactus, auriculario specillo excuti facile potuit. — Puellæ sex

¹ *Morand*, Mémoires et observations Cliniques de Médecine et de Chirurgie. Tours 1844. — *Annales d'Oculistique*. Juillet 1845. p. 37.

mensium, sinistrum narium latus, præcipue pinna, jam paucis a natu diebus, rubris, dispersis punctis erat fœdata: haec puncta in quemvis fere mensem magis magisque latescendo, hic illic jam se insimul attinxerant, et supra pinnam, in unam, jam latam et nonnihil eminentem, præ-rubram, maternam maculam (telangectasia) coiverant. — Singulis hisce segregatis punctis, et maculae quoque majori totæ, recentem lapidem causticum, in cuspidem extenuatum, neque nimis neque minus quam necesse esset, adpressimus, donec atrum maculae colorem conceperint: eschara plures per dies in sede hæsit, dein moto lente pure secessit, et bona, glabra, non rubra cicatrix, adustis locis superincrevit.



MORBI LABIORUM.

Varix — telangectasia — turgor morbosus — ulcus labii inferioris.


Inferioris labii varicosi exempla duo obvenerunt, alterum in puella vix bima, alterum in puella decenni: in illa, malum nullius fere gravitatis, inde ab aliquot annis nullum amplius incrementum capiebat, et a vastioribus iisque distinctis venis, tantum in facie labii interna conspicuis, pendeat. Alter vero casus puellae junioris, gravitatis profecto fuit multo majoris, quippe qui genuinam sistens telangectasiam venosam, non sum-

mam labii cutem, sed totam labii spissitudinem occupabat, tam extra quam intra labium prominebat, et rapido incremento, jam dimidium fere sinistrum labii latus invaserat. — Malum, compressione diuturna, per aptam latis maxillis instructam volsellam quae labium morderet, curare, in animo fuit; parentes vero, curationem ferramentis peragendam abhorrentes, natam subduxerunt.

Labeones esse frequentissime pueros scrofula adfectos, notum est: sed occurrit quandoque, ut labium superius immodice repente fere intumescat, tumore pallido, cum elastico quodam renixu, non dolore, sed potius tensione et oris deformitate aliquid incommodi (potissimum puellis) afferre solito: subinde, a superioris labii rhagade ita labium turgescit. Est vitium non majoris quidem momenti, sed ut plurimum diu duraturum, cujus, veluti ceteris annis, ita et hoc anno quoque, exemplum rebelle, in puero habuimus.

Ulcere, ut videbatur, scrofuloso, totum summum labium inferius exesum rustica aetatis mediae exhibuit: primo intuitu, ad cancerum spectare ulcus videbatur; deerat tamen in ambitu ulceris durities illa, quae cancro nunquam non esse socia consuevit: quamobrem, sine opera cultri curationem suscepimus, et diu noctuque ulceri superillitum esse cicutae extractum voluimus. — Post mensem circiter, remedio docilissima ab aegra diligentissime adhibito, ulcus perfectam cicatricem concepit, et labium, prolabii loco, cicatrice marginatam oram exhibuit. Successus fere expectationem superavit.

Suspicio tamen fuit labis syphiliticae, ideoque jodium quoque, aegrae exhibitum est.



CANCRI LABIORUM.

Frequentissime autem occurrerant labia, vel prorsus tota, vel tantum ex parte, canceratica, quorum ultra quindecim extirpavimus, nacti ita occasionem prope mirificas illas curationes manu suscipiendi, per quas, novissimis temporibus, labia prorsus degenerata spectabili successu resarciuntur, et in quibus nostrae aetatis chirurgia mirum equidem in modum profecit.

In exponendis hujusmodi curationibus, labiorum cancos in varias quodammodo series distribuere juvabit, pro varia scilicet illorum majori vel minori vastitate.

Labia canceratica simplici excisione curata. Ad primam seriem spectant cancri qui summam tantum labii oram occupant: his curandis, canceraticum marginem, modo cultro, modo vastioribus forficibus excidimus, et superstitem mucosam externo vulneris limbo consuimus. Aliquid ita de labii altitudine demtum est, os tamen claudi poterat, quin suctus vel loquela interciperentur.—Cancros ad hanc seriem pertinentes, tres curavimus.

Labia canceratica, plaga litteræ V simili, et sutura, curata. Ad secundam seriem, cancri spectant, qui, non

summum labium, sed jam partem ejus, etsi mediocrem, tertiam puta, invaserunt, quibus igitur curandis plaga ad similitudinem literae V infligi, ejusque orae per nodosam suturam committi, debuerunt: (labrorrhaphia) horum vulgarium cancrorum tres habuimus.

Cancrī, plaga litterae V simili, et sectione buccarum transversa ad resarciendum labium, curati. Ad tertiam seriem, cancri referri debent qui jam majorem labii partem occuparunt, ita, ut, de sano labio, vel utrinque, vel in uno tantum cantho, solum portiuncula superstes fuerit. His in casibus praeter plagam ad similitudinem literae V excidendo cancro necessariam, secari quoque in transversum bucca alterutra vel utraque debuit, et mucosa, buccam tam gingivis quam coronoidae apophysii jungens, quoque debuit incidi, quo buccae, ex propria sede, in sedem labii restaurandi attrahi et medio loco consui potuissent. — Cancros ad hanc seriem pertinentes quatuor habuimus.

Cancrī, sectionem buccarum transversam et plagas celsianas pro refectione labii, requirentes. Ad quartam seriem pertinent cancri, qui, etiamsi persectae transversim buccae fuerint et mucosa a gingivis fuerit separata, tamen, buccae vel omnino non, vel non nisi tensione nimia adduci in medium locum et consui potuerunt: his in casibus, magis sequaces buccas reddere oportuit incisa in illis plaga Celsiana recta, quae buccas perforaret, quin tamen cum transversa plaga coiret. Hujusmodi unus dumtaxat cancer adfuit.

Cancri, sectionem buccarum transversam et plagas rectas Dieffenbachianas pro restauratione labii requirentes. Quinta series cancos comprehendit qui, vel totum omnino labium, vel non tantum labium totum sed et partem quoque buccarum, vel, nisi labium totum, tamen majorem ejus partem, cum parte quoque dextræ vel sinistræ buccæ, pervasérunt. Ad resarciendam magnam jacturam post excisos hujusmodi cancos superstitem, necesse fuit, transversam buccarum plagam plus minusve postrorsum, non raro fere ad auriculam protrahere, et ab extrema illa plaga, etiam aliam deorsum in masseterica vel parotidea regione, in altam usque colli incidere, atque ita, trilaterum pannum circumscribere, qui, tantum inframaxillari regioni vel altæ colli continuus, compelli in medium mentum et consui potuisset. — Hujusce modi encheiresis, per quam totius, imo magis quam totius labii inferioris jactura restauratur, quae incomparabili illo chirurgo Dieffenbachio pertinet, profecto una est ex pulcherrimis totius plasticæ chirurgiæ: hanc ipsam, postquam orbi litterario innotuisset ¹, frequentissime (profecto tricies) in schola adhibuimus, frequentissime scilicet quotannis accedentibus aegris cancos labiorum vastissimos gerentibus, quibus Dieffenbachiana chiloplastica succurrendum est. Hujusce modi chirurgia scopo adeo respondet, ut rejectis ceteris omnibus

¹ *Baumgarten.* Dissertatio de Chiloplastice et stomatopoesi. Lipsiæ 1837.

chiloplasticae methodis, non nisi eam adhibere soliti simus; eamque, hoc anno quoque, quinque adhibendi occasionem habuimus. Semper autem mirati sumus potentiam eam prope incredibilem quae faciei inest, ingentissima illa vulnera, quae in absolvendis iis chirurgiis infligi necessario debent, sustinendi: in omnibus enim fere casibus quos habuimus, graviora symptomata vix unquam secuta sunt, et panni ex propria sede divulsi atque in alienam inserti, ut plurimum apprime concreverunt.

Cancris cum degeneratione canceratica ossis. — Sexta denique series eos casus amplectitur, in quibus, praeter labium, mandibulae quoque anterior pars cancro occupata erat. Graviorum horum casuum qui resectionem mediae inferioris maxillae desiderarunt, exempla duo praesto fuerunt.

Etiam si unus fere, semperque idem sit prototypus encheiresis hujus qua labium inferius resarcitur, encheiresis scilicet posita potissimum in plaga illa transversa, plus minus postrosum sed fere semper citra marginem masseteris producta, et in plaga alia recta vel parum incurva, in collum usque descendente, tamen, pro vario canceri casu, et pro varia fere dicerem vultus figura, variae quoque sunt modificationes quibus manus chirurgi hanc chirurgiam subjicere subinde debet: has vero persequendi, neque hic locus est, neque mihi nunc in animo est; quapropter, ad narrationem si non singulorum canceri casuum quos per hunc

annum curavimus, saltem ad illos qui alicujus momenti fuerunt, jam accedimus. Liceat tantum generatim ea praemittere quae ad faustum harum curationum exitum summopere conferre visa sunt: haec, ad subsequam vulneratae partis curationem cumprimis spectant, in qua scilicet, nisi quanta maxima diligentia et cura et assiduitas adhibeantur, prosperum eventum vix sperare licet.

Contribuisse igitur ad faustum harum curationum exitum sequentia comprimis videntur.

I. Data opera est ut pannorum tensio quam minima esset: quo facilius enim ex propria sede in sedem novam panni trahantur et retinentur, eo certior quoque est illorum conglutinatio, eo minor phlogosis, eo minus quoque timenda gangraena est: quapropter, plagae illae a Diffenbachio excogitatae, quae ab extrema transversa plaga per laterales faciei regiones in collum descendunt, inventionem sistere mihi semper visae sunt prope mirificam, et in his chirugiis maximae utilitatis.

II. Adhaesiva emplastra vel adhæsiva lintea, ad pannos attrahendos et continendos. eorumque disjunctionem praecavendam, fere nunquam necessaria, sæpissime importuna judicamus, quippe quae, vel nullius sunt effectus, ideoque inutilia, vel, si circa caput injiciantur quo firmitus pannos retineant, vulnus quoque comprimunt, compressas oras potius sejungunt quam committunt, aegro plerumque incommodissima evadunt. Ubi vero forte necessaria sint,

taeniolae ex *linteo adhæsivo* taeniis ex quolibet *adhæsivo emplastro* semper preferimus.

III. Gelida fomenta superdare, potius damnosum quam proficuum judicamus, ¹ in declivi enim loco vix fomenta illa opportune possunt admoveri, reiterata illorum mutatio inaequalem vulneris temperaturam reddit, aegris somnum proripiunt, admoveri nequaquam possunt quin et collum et pectus humefiant, unde saepissime tussis quammaxime vitanda supervenit, sub cujus concussione distrahuntur adhaesiones, coalitus præpeditur. Neque ego crederem frigida fomenta multum posse ad præpediendam nimiam phlogosin, quam raro in curationibus citra frigidae usum absolutis supervenire vidimus, dummodo hirudines in tempore adhibitae fuerint: idem quoque de gangraena dicendum est.

IV. Primam deligationem plerumque mane vel vespere perendinae diei (post horas 48—54) mutavimus, et sub ea suturas quoque ut plurimum recepimus: vulneratis locis autem, vel nihil, vel tantum splenium tomentum humens et fundam superdedimus. — Circa tertiam quartamve diem nonnunquam contigit, pannos hic illic, secundum illorum commissuras præcipue, a congestu aliquantum turgidos et renitentes vidisse, cum duritie quadam atque tensione: ubi malum leve fuerat, molle cataplasma vulneri superdatum valde profuit, congestum

¹ V. p. 6 et 7.

dissipavit, duritiem discussit: ubi vero quædam imminentis fortasse ponnorum succensionis significatio adfuisset, calor scilicet cum turgore et aliqua rubedine, protinus admotæ semel vel iterum hirudines, auxilium fuerunt nulli secundum.

V. Curationi valde interfuit pannos ad perfectam usque cicatricem curiosissime inspectasse, et aliquoties in die attente visitasse: nam, etiamsi post secundam vel tertiam diem panni apprime conglutinati esse soleant, neque suturarum vel taeniarum glutinantium amplius sit opus, insequentibus tamen diebus summus orarum coalitus subinde nonnihil hiat, subter pannos, potissimum secundum eorum mutuam commissuram, et in vulnusculis quoque a quavis sutura inflictis, puris quidquam subinde colligitur et abscessuli nascuntur, quorum amurca, quotidiana vulneris visitatione, et diligenti atque temperata pressione, exprimi debet.

VI. Summa ora mutui ponnorum coalitus etsi conglutinata videatur, tamen, non nisi post sextam vel octavam, plus minus, diem, perfectam induit cicatricem: id donec eveniat, ora illa sæpe quidquam puris quod in crustulas coit, solet secernere. Crusta illa quotidie sedulo, subjecto temperate specillo, removenda est, nudato ita, subter delitescente vulnusculo; a longiore enim crustæ illius mora pus quoque longius moratur, ideoque foveolas agit et cicatrici obstat.

VII. Ceterum, majoris quoque momenti sunt, tum ægri docilitas, tum diligentia ministrorum quibus com-

mi-
tis-
pro-
ium
tam
ies
lam
esse
ium
mus
os,
um,
uris
ur,
et

on-
ta-
em:
od
die
est,
ore
ur,
m
m-

Fig 4.



P. Leedits

out in the light

mittenda est horum ægrorum nutritio, quæ primis diebus per syphonem magno tædio debet absolvi: post quartam jam diem a facta chirurgia, opera plerumque est danda ut jurulenti et nutrientes cibi his ægris sæpius ingerantur; ubi enim famelici a nimia abstinentia fiant, difficilius sanationem recipiunt, imo quandoque in vitæ discrimen conjici possunt.

Cancer labii superioris, inferioris, et buccæ sinistrae.—
Excisio. — *Chiloplastica Dieffenbachiana.* Fig: 9, 10,
 11, 12.


Icon IX imaginem refert rustici quadragenarii, cui, tres partes labii superioris, plusquam dimidiam labii inferioris, et magnam quoque buccæ sinistrae partem, cancer occupaverat. Labiorum ita degeneratorum prope monstruosa erat figura, mirum in modum extabant, et fere plenum, arcuatim plicatum farcimen simulabant. Pars canceratica, tumidissima erat, coloris atrii, rigida, qua parte os spectabat, exulcerata. Sanies et saliva assidue dimanabant, perpetui, pungentes, rodentes dolores ægrum opprimebant, præprimis dum cibos capiebat. Colli glandulæ tamen erant illibatæ, ægri habitus nondum labefactatus videbatur, malum ab uno anno tantum, ex tuberculo circa angulum oris nato, ortum duxerat.

Quæ fuerit vulneris figura post factam canceri excisionem ostendit Icon X. — Plagæ quæ inflictæ sunt ad

resarciendam tam labiorum quam buccæ jacturam, in eadem icone visuntur. Pannus *C*, plagis *e*, *f*, circumscriptus, ad resarciendum labium superius. — Plaga *d*, ad mobilem reddendam superstitem dextram particulam labii superioris, eamque, cum panno *C*, deorsum attracto, committendam. — Plaga *g*, et *h*, ad circumscribendum pannum *A*, totum ex regione masseterico-parotidea mutuandum. — Plaga transversa *m*, et recta *j*, buccam citra marginem masseteris prorsus perforans ideoque in os penetrans, ad circumscribendum pannum *B*, qui attractus, cum panno *A* conjungeretur.

Quæ fuerit faciei figura conjunctis pannis et finita chirurgia, ostendit Icon XI. In apice menti plica cutanea visitur, quæ plerumque efficitur ubi chirurgus pannos valde postrorsum, ex regione scilicet *masseterica* vel *parotidea*, mutuatur: pannus scilicet a regione masseterica, parotidea, et maxillari subsectus, dum antrorsum supra mentum attrahitur, deorsum infra mentum plerumque redundat et in plicam sinuatur: excidi quidem plica hujusmodi posset, tum vero, panni basis esset angustior, et forte panni nutritio periclitaretur; quapropter, plicam illam excidere non solumus, sed eam suturis jungimus: ut plurimum vero plica illa contrahitur et fere disparet, sicuti videre est in Icone XII, quæ refert effigiem hominis jam inde a quatuor mensibus curati. — In hac effigie visitur insuper quam exigua cicatrix remanserit a magnis illis, triquetris, in utroque faciei latere nudis

Fig. 10.











Fig 16





plagis, quarum sinistra, usque ad auriculam, ad mutuandum ex regione *masseterico-parotidea* sinistrum pannum, produci debuerat, quarum dextra vero, persecta bucca, hiatum in oris cavum descendentem referebat. — In Icone XI videre quoque est, utrumque pannum circa utrumque oris angulum latiore esse, et, non una tantum, sed tribus suturis, cum plaga buccarum transversa consutum fuisse: id, in omnibus fere hujuscemodi administrationibus facere solumus, quemadmodum apparebit in ceteris casibus chiloplastices qui mox sequentur ¹.

Quoad ægri sanationem, hæc, recte processit, panni mutua conglutinatione perfectissime concreverunt, nulli gangræna (quam in panno superioris labii, longo et angusto, cum primis timebamus) se insinuavit: plagæ laterales hiantes, æque ac plaga quæ fossæ caninæ respondebat, tantum protectæ, circa trigesimum diem jam cicatricem receperant: quum vero sinistra plaga, ex qua aliquid salivæ directe ex parotide subinde exstillabat,

¹ Tam in opere *Zeis*, (Handbuch der plastischen Chirurgie. Berlin 1838 p. 484) quam in recentissimo opere *Fritze et Reich*, (Die plastische Chirurgie. Berlin 1845. Tafel XXXI fig: 6) icon ad chiloplasticam Dieffenbachianam pertinens, utrumque canthum novi labii, una tantum sutura, transversis buccis conjunctum repræsentat. — Id, quod tam de unica hac sutura, quam de utilitate majoris pannorum latitudinis nuper rectissime scripsit *Adelmann*, (Beiträge zur medicinischen und chirurgischen Heilkunde. Erlangen 1845 p. 246) in meis quoque chiloplastices operationibus apprime confirmatum reperi.

(profecto a sauciata, pannum subsecando, fascia parotideae) perfectæ sanationi esset proxima, repente contigit, ut regio parotideae intumesceret cum tensione et aliquo dolore: hirudines et superdati sacculi aromatici malum, spatio hebdomadis, dissiparunt. — Curatio absoluta est sine frigidis fomentis; remedia adhibita, fuerunt tantum, tertia die, cataplasma emolliens, quarta quinta et vigesima duodecim hirudines, intus vero identidem soda sulphurica: plagæ laterales patentēs, donec cicatricem conciperent, protectæ sunt linteo tomentoso.

Labium inferius totum concenteraticum: degeneratio altius in mucosam buccæ dextræ propagata. — Excisio labii et partis buccæ degeneratæ. — Chiloplastica plagis Dieffenbachianis. — Labium novum dimidium mucosa instructum, dimidium mucosa carens. Fig: 13 — 14.


Occurrunt subinde cancri, qui jam toto corrupto labio, se in dextram vel sinistram buccam tam alte insinuant, (sæpius internam buccam longe altius quam externam pervadentes) ut, ex pannis alterum fere totum ex regione masseterica et parotideae mutuari debeamus, alterum vero, magna parte ex bucca mutuari adhuc possimus. His in casibus, pulchritudini labii restaurati aliquid deest; dimidium enim labium a bucca mutuatum, mucosam secum trahit, quæ, limbo vulneris externo consuta, apprime prolabium refert: dimidium vero labium a *masseterica*

o-
on-
et
ici
so-
e-
ta
ro
es,
eo

us
io
is
sa
4.

o,
t,
m
ne
o,
in
i-
n
e
a

Fig. 15.







Fig 1/6



et parotidea regione desumptum, mucosa caret, ideoque loco prolabii ex mucosa, cicatricem refert: adde etiam, quod cutis regionis masseterico-parotideæ, apud senes præcipue, multo extenuatior et flaccidior est quam buccæ spissitudo. Quamobrem his in casibus, restitutum labium aliqua deformitate dehonestatur, etsi id minoris sit momenti apud rudiores homines quibus istiusmodi curationes plerumque fiunt, qui scilicet barbam prolixiorem gerere solent.

Hujuscemodi casus exemplum præbuit æger quinquagenarius cancro labii laborans, cujus imaginem refert Icon XIII. — Ex punctatis lineis videre est, quæ plagæ inflictæ fuerint, tum ad excidendum quidquid canceraticum fuit, tum ad circumscribendos laterales pannos. Obliquitas primæ plagæ dextræ, quæ usque ultra mediam buccam protrahi debuit, propterea necessaria fuit, quia degeneratio canceratica, a latere dextro altissime per mucosam buccalem se extendebat, illibata tamen cute. Pannus ideo hujus lateris fere totus ex regione masseterico-parotidea excisus, in summa ora, mucosa carebat, sicuti apparet in Icone XIV, quæ hominem mox manu curatum refert.

In hoc homine periosteum menti quoque, dextrorsum degeneratum erat: os igitur radere necesse fuit, sic, ut panno dextro nuda pars mandibulæ esset subjecta: curatio tamen successit, quin gangraena vel major inflammatio pannorum moverentur: pus inter os rasum et pannum dextrum haerens, diligenter quotidie ex-

primebamus, et circa vigesimam diem internae quoque plagae cicatricem conceperant. Quidquam lentius in hocce homine processit cicatrix plagarum regionis parotideae, habitus enim flaccidi, et jam senio proximus erat; ante quadragesimum diem tamen, adhibitis pro remedio lautis cibis et vino et cerevisia (porter), jam utrique plagae coarctatissimae, cicatrix supercreverat. Aeger restitutus discēssit quadragesima die, labium novum gerens cujus dimidium sinistrum quidquam plenius et mucosa instructum erat, dimidium vero dextrum extenuatius, in summa ora loco prolabii gerebat cicatricem.

Cancer totius labii inferioris et angulorum oris cum tumore glandulae submaxillaris dextrae. — Extirpatio cancri et glandulae degeneratae. Chiloplastica Dieffenbachiana. Fig: 15, 16.


Non raro contingit videre aegros, qui sine conspicua canceraticae universae labis nota, una cum cancro labii inferioris, jam vitiatam quoque gerunt glandulam submaxillarem unius vel utriusque lateris, hypertrophicam, duram, jam conspicue extra mandibulae marginem extantem. Ubi glandula illa nil omnino, vel parum adhaereat, ubi, si quae aliae sunt quoque hypertrophicæ glandulae in regione genio-hyoidea, illæ quoque solitariae sint et non adhærentes, extirpationem tum labii tum harum omnium glandularum suscipere olumus, potius quam aegrum sine efficacioris artis

quo-
ntius
ionis
mus
pro
jam
rat.
rum
is et
exte-
m.

cum
atio
zen-

icua
la-
lam
tro-
nar-
vel
que
ille
nem
ere
tis

Fig 15.



auxilio relinquere. Quod si glandula submaxillaris hypertrophica, cancro labii comes, (vel post excisum cancrum serius ocius tumescens), obscuram quandam fluctuationem offerat, tum plerumque in sinu glandulae degeneratio canceratica jam inest, fluctuatio, non a pure sed ab humore tenui, coloris impuri, subflavi, viridescens pendet, et hos omnes homines cancro semper perire vidi, eosque cultro affligere prorsum inutile est.


Icon XV effigies est hominis quadragenarii cui *totum labium inferius et utrumque oris angulum* cancer occupaverat: laudabilis erat aegri habitus, sed infra mandibulam a latere dextro, valde *hypertrophica* extabat *glandula inframaxillaris*, dura, sine fluctuatione: in regione genio-hyoidea quoque, binae prominebant glandulae induratae, fere magnitudinis nucis avellanae. — In eadem icone, punctatae lineae plagas indicant quae fieri debuerunt tum ad excidendum cancrum, tum ad circumscribendos pannos pro restauratione labii. Quum uterque angulus oris quoque, praecipue in facie interna, cancro esset corruptus, fieri a lateribus labii superioris plagae illae *A. B.* ad similitudinem litterae *V* debuerunt, ut particula canceratica, ea in sede labium superius invadens, e medio tolleretur.


Incisa igitur prius, ab utroque latere cancri, plaga infra mentum coeunte, exciso cancro, protracto vulnere medio deorsum in regionem genio-hyoideam, secta utrinque transversim bucca et cute masseterica usque prope meatum auditivum, incisis plagis deorsum per

parotideam regionem ad submaxillarem descendentes, subsectis denique pannis per eas plagas circumscriptis, iisque reflexis, glandulas duas in regione hyoidea induratas excidimus: tum vero, late incisa supra specillum sulcatum fascia cervicali, seu capsula aponevrotica in qua submaxillaris glandula, veluti in theca, includitur, ea glandula hamulo excepta, magis adminiculo manubriuli quam aciei, e sede sua abstulimus: id autem sine majori difficultate fieri potuit, submaxillaris enim glandula sat facile potest excidi dummodo prius late patefacta fuerit capsula aponevrotica in qua comprehenditur. Sunt quidem celebres in arte viri qui credunt, submaxillares glandulas nunquam cancro occupari, eosque submaxillares tumores qui subinde pro glandula degenerata extirpati fuerunt, non ipsam reapse glandulam fuisse, sed ganglium aliquod lymphaticum degeneratum. In casu vero de quo loquimur, extirpatio glandulae sic facta est, ut ea jam tota circumsoluta, ex unica arteria faciali, quasi ex pediculo, dependeret: arteria ligata, et secta, et glandula igitur sublata, spatium quod interest inter insertionem musculi mylohyoidei et internam mandibulae faciem prorsus vacuum prostabat, sic, ut revera glandulam submaxillarem extirpatam fuisse, credendum sit.

Effigies XVI hominem reddit mox manu curatum: ex ea visitur, utrumque pannum ex *parotideo-masseterica* regione in regionem *bucco-labiale*m translatum esse,—cattorem utrumque pannum esse, et tres suturas circa

Fig. 16.





oris angulos injectas gerere, — labium superius plagam consutam utrinque referre, ob excisum utrumque angulum hujus quoque labii canceraticum, — nullam tandem in buccali regione hiare plagam in oris cavum descendentem, latiorum enim pannorum margo externus seu posterior, *trans marginem* masseteris reperitur.

Curatio, de more, absoluta est absque frigidis fomentis, absque taeniis adhaesivis, absque unguentis, et sanatio recte successit nullo interveniente adverso casu.

Cancer duos trientes labii inferioris et cutem menti occupans. — Excisio cancri. — Refectio labii per sectionem buccarum transversam, et per plagas Celsicas.

Casum cancri habuimus qui nondum labium totum destruxerat, sed in cutem menti latius proserpserat. — Exciso cancro, particula labii sana utrinque supererat, sed supra mentum latior plaga patebat. — Sectis in transversum buccis, secta mucosa bucco-maxillari, et subsecta cute a lateribus mandibulae, panni satis quidem sequebantur ut sursum conjungi medio loco possent, et summum labium efficerent: in parte ima vero, panni supra mentum non satis attrahi potuerant ut committerentur; mentum enim, ut supra monuimus, latius erat nudatum. In hocce casu, tam in dextro quam in sinistro mandibulae latere, celsicam rectam plagam sesquipollicis, per buccas in cavum usque oris penetrantem

infiximus, quoniam plaga illa, cum plaga transversa coiret ¹: tum, panni deorsum multo magis sequaces, in medium mentum consui potuerunt. — Aeger tertia Maii manu curatus, 19 ejusdem mensis manumissus est, prorsus restitutus. Ejusmodi fuit curati hominis facies, ut vix suspicari aliquis potuerit ei *novum* labium fuisse; circa angulos labii superioris vero quaedam redundantia, quasi ruga vel plica, deprehendi poterat: ubi enim inferius labium *sine plagis Dieffenbachianis sed per attractionem buccarum praevia transversim sectarum* restituitur, labium superius fere extrorsum sinuosum fit et eminens, quae res tamen, post longius breviusque tempus, disparet: superest nihilominus differentia quaedam inter labium inferius novum, quod adstrictius est, et superius, quod laxius est — Cicatrix Celsicae plagae utriusque lateralis, lineam tantum referebat.

Excisio labii canceratici cum excisione eminentiae mentalis.

Prope similis fuit casus alter rustici fere sexagenarii, cui duos trientes labii inferioris et cutem menti cancer exederat. Cancer; pro more productis infra mentum plagis, excisus est, utraque bucca in transversum secta est, partes molles utrinque a subjecto osse solutae sunt: sed orae vulneris superne comitti quidem, inferne vero nequa-


¹ Ubi coivisset plaga non Celsica sed Dieffenbachiana fuisset.

oinet:
medium
a cura
is re-
suspi-
ngulos
vuga
labium
n buc-
abium
qua
paret:
abium
quod
eratis,

entia

ii, cui
exede-
is, ex-
partes
orae
equa-

Fig. 17.



quam committi poterant; prominentissimum enim mentum junctioni obstabat. Hocce in casu, menti prominentiam, infra alveolos aptata obliquiter serra, excidimus, et forficibus osteotomis eminentem ossis oram circum exaequavimus: tum, supra mentum quoque, panni consui potuerunt. — De sanitate hujus ægri certior nuper, sexto scilicet mense a chirurgia, fiebam ab hero ejus D: Malinowsky, qui forte urbi interfuit.

Cancer totius labii inferioris et menti. — Excisio labii canceratici et resectio menti. — Coalitus novi labii pulcherrimus. — Pneumonitis chronica occulta, exasperata. — Mors nona die. Eff: 17. 18.


Rusticus quadraginta annorum, cancro labii inferioris inde a duobus annis laborabat, ejusque effigies in Ico: XVII habetur. Cancer ipsos oris angulos jam quidquam excedebat, et deorsum ac sinistrorsum serpens, ossi adhærescere videbatur: menti superficies ossea specillo tentata, aspera erat, et canceratica labes in gingivas quoque, circa incisivos dentes, usque in faciem mandibulæ internam se insinuaverat. Colli glandulæ, præter duas parvas infra mentum, non erant affectæ, neque labefactatus videbatur ægri habitus. — Tertia die ex quo æger acceptus fuerat, cancrum ei excidimus, resecta quoque, citra primum molarem dentem utriusque lateris, media parte mandibulæ. Sub chirurgia primum cancer excisus est, tum maxillæ pars corrupta resecta est, denique deficiens labium reffectum est. In Icone,

punctatæ lineæ plagas repræsentant, quæ, tum ad excidendum cancrum, tum ad restaurandum labium fuerunt inflictæ.

Ad resecandam maxillam, vulnus medianum deorsum usque ad laryngem produximus, dentem caninum utrinque evellimus, et jam subsectis pannis buco-massetericis, cultrum acutum, qua parte os secari debuerat, per internam maxillæ faciem transfiximus, vulnere, quod comode indicem exciperet; tandem per eam viam, serram *Jeffrey* huicce operationi opportunissimam transmisi-
mus. Os mandibulæ, prius in dextra, dein in sinistra parte præcisum est ea cautione, ut, non totum in *dextra sectione* persecuratur, ne sub *sectione sinistra* nimis vacillaret. (Petrequin). Præcisa jam utrinque mandibula, musculos genio adherentes secuimus, et per reliquias frenuli stamen ad retinendam extrorsum linguam injecimus, labium vero, consutis pro more pannis *masseterico-parotideis* refecimus, relicto in ima parte medianæ suturæ hiatu qui ellychnium exciperet, ut via puri pateret. Absoluta jam tota chirurgia, vulneri splenium tomentosum, dein sericum impermeabile (oiled silk) superimposuimus, et fundam laxè aptavimus, fascia scilicet, quæ tam in maxillæ resectione quam in chiloplostica, ceteris aptior videtur. Stamen per frenulum transjectum ex angulo oris dependens reliquimus, neque illud ad suturam medianam alligavimus, (*Adelmann*) ne post detractam suturam, lingua eo stamine, forte ulterius necessario, careret.

d
n
n
.
y
.
.
n
.
.
n
.
s
.
r
.
s
e
t
i
l
.
l
.
.

Fig 16.



Effigies hominis post operationem repræsentatur ab Icone XVIII: in ea videre est, quomodo labium novum potius concavum sit quam convexum, quippe quod fulcimento deficiente menti destituitur: ea quoque de causa, labium superius, imo superior maxilla, præ labio inferiore collapsa, extant.

In resectione maxillæ cum refectione labii inferioris, plagæ laterales Dieffenbachii summopere sunt necessariae; ubi enim labium tantum per plagas buccarum transversas et per harum attractionem reficiatur, laterales partes mandibulæ resectæ una cum lingua repelluntur, atque ita respiratio, superveniente inflammatorio turgore, valde intercipitur, cum magna aegrorum molestia, imo cum eorum periculo.

Prima die sat commode habuit aeger, dolorem non querebatur, nocte ad plures horas obdormivit: sed respiratio, fere statim post operationem, insolitam difficultatem præ se tulit. *Alterâ* die pulsus 90, calor parum a naturali abludens, in vulnere nullus dolor: respiratio vero difficilis et laboriosa, ejus murmur ubique valde obscurus, et valde obtusus item percussi pectoris sonus: nulla tamen tussis; sed ad vespertas calor conspicuus cum febre intensa. (*Venaesectio. Sanguis cum crusta densa.*) *Tertiâ* die pulsus 90, calor conspicuus, respiratio laboriosa, anxiosa, celeris, tamen sine tussi. Labium vero novum hodie perlustratum, apprimè coalitum, nullibi nimis inflammatum se præbuit, ita, ut suturæ omnes recepisse potuerint. Intus autem aquam lauroce-

rasi ex potu ægro ingerendam præscripsimus, et habita ratione ad calorem, ad respirationem anxiam, ad obtusissimum pectoris sonum, ad phlogisticam conditionem sanguinis hesterna die extracti, *venæsectionem* hodie reiteravimus, quæ iterum sanguinem reddidit vehementissime phlogisticum. — *Quarta die* pulsus 84, calor mitior; æger lac et juscula, quæ identidem in die per syphonem caute ei ingeruntur, appetere videtur; nulla tussis, sed respiratio non emendata. Labium vero artefactum, pulcherrime ubique conglutinatum se præbet, nullibi nimis inflammatum: plagæ regionis masseterico-parotideæ, jam deterasæ, pus bonum movent: ex infimo angulo mediani vulneris saliva cum modico pure effluit. (*Aqua laurocerasi: clysmâ*). *Die sexta* pulsus 100, et semper eadem, difficilis, anxia respiratio: coalitus pannorum tamen quotidie firmior fit, et tam bene successit, ut commissuræ vix appareant: ipsi interni panni quoque, jam adhaerescere videntur margini ossis resecti, ex cujus secta ora carneæ papillæ hic illic jam emergunt. *Septima* pulsus 108, cœnaesthesis mala, facies mœsta, ominosa, omnem cibum aeger respuit, respiratio citata, difficilis, pectus obtusissime, imo nil omnino resonat; nihilominus tamen nulla tussis, nec sublimius inspirando, dolorem æger accusat. *Octava* pulsus 108, facies tetrica, livida, oculi abacti, puris secretio in plagis regionis massetericæ substitit: firmissimus tamen perstat pannorum coalitus, et labium novum, naturale labium prorsus simulat. *Nona*, post meridiem respiratio



Fig. 19.



difficillima evasit, pulsus citatissimi, tremuli, languentes, et brevi post, integris sensibus aeger periit.

In cadavere, pulmones rarum exemplum obtulerunt chronicæ pneumonitidis¹: colorem ubique cinereum exhibebant, secti, ubique insolitam aspritudinem et duritiem, ab hepatisatione omnino differentem, offerebant: cor erat magnum et flaccidum, textura ejus mollita. — Vitium pulmonis, profecto, antiquum fuit, neque profecto vera retulit æger dum affirmavit, se ex pectore nunquam laborasse: sed aegri qui cancro laborant, plerumque adeo vehementer operationem desiderant, ut vix aliquid ex illis excidat, quod medicum ab operatione possit remove. Quidquid sit, ubi diligentius ante operationem, hujus ægri pectus a nobis exploratum fuisset, dubio procul, ab operatione quoque abstinuissemus, et æger, ad aliquod saltem tempus, vitam protraxisset: quum vero firma adhuc visa fuisset ægri constitutio, neque tussiculosus fuisset, adfecti pectoris suspicio non incidit, et operatio perperam suscepta, hominis mortem maturavit.

Cancer labii inferioris et menti. — Resectio maxillæ. — Chiloplastica. — Optima ægri conditio ad septimum usque mensem. — Repentina, gravis mutatio a moerore. Eff: 19.

Effigies XIX faciem hominis annorum triginta octo fidelissime reddit septimum post mensem ex quo me-

¹ *Rokitansky* chronicam pneumonitidem non admittere videtur. (Handbuch, II Band, p. 96).


dia mandibulæ pars ei fuerat resecta propter cancerum, qui labium inferius totum, gingivas et alveolos, cum osse quoque menti occupaverat. Huic facta est, de more, excisio cancri, resectio mediæ maxillæ *citra utrumque molarem dentem primum*, et labii restauratio, plagis buccæ transversis, et plagis rectis Dieffenbachianis *ipsa in bucca citra marginem masseteris* utrinque sectis, ideoque buccas, hoc in casu, perforantibus.

Chirurgia facta est circa diem septimum mensis Maii anni 1845. Sanatio successit citra quodcunque grave symptoma, et æger dimitti quadragesima die post operationem potuisset, tum enim inducta omnibus plagis erat cicatrix, cicatrix quoque utrique fini ossis præcisi succreverat, iique fines, cum interna cicatrice pannorum deorsum concreverant, sicuti evenire post resectionem maxillæ solet. Hominem tamen dimittere nolimus, sed quam diutissime penes nos eum retinere statuimus, ut data nobis esset facultas observandi mutationes, quæ forte in homine, cui resecta maxilla fuerat, contingere post longius tempus potuissent; sunt enim qui credunt, has esse, ob labefactam nutritionem, plerumque pessimas et mortiferas. (*Vidal*) Ne igitur curato homini taedio esset longior mora, eum, non in ipsis scholæ aulis, sed in societate famulorum versari voluimus, et quidquid ciborum et potus desiderasset ei concessimus.—A mense Majo in quo operationem sustinuit, usque ad finem Decembris hominem quotidie videntes, non satis mirari poteramus manifestissimam totius ejus constitutionis restauratio-

nem: pancreaticæ enim quodammodo valebat, vegetus erat, facie optimi coloris, totus mutatus ab illo qui fuerat quum scholam primum adiisset. Circa natales festos vero, quum advenissent cognati ejus ut eum domum reconducerent, abeundi veniam aeger postulavit: ejus preces tamen bonis verbis declinare studuimus, operamque dedimus, ut commoda ejus, a quovis genere laboris aliena penes nos vivendi ratio, ei longius arrideret. — Mox vero post cognatorum discessum, profundus moeror et quaedam fere nostalgia hominem occupavit; atque jam primis Januarii hebdomadibus, incredibilis in habitu ægri mutatio contigit, et adeo macilentus iterum, ac pallidus evasit, ut nos valde piguerit desideriiis ejus non annuisse. Paulo post, in regione inframaxillari dextra, glandula in durum sed mobilem tumorem extolli cœpit, et cito molem fere nucis adeptæ est. Eam, incisa contra lata plaga, et patefacta supra sulcatum specillum capsula aponeurotica, excidimus, et statim ac novo vulnere inducta fuerat cicatrix, quod circa diem decimum quintum accidit, hominem ad suos dimisimus: tum vero, nonnullæ quoque circa collum glandulæ durescere incœperant.

In effigie apparet quomodo maxilla superior, præ inferiori labio depresso, extet: a lateribus visuntur quoque cicatrices plagæ Dieffenbachianæ rectæ, quæ in hocce casu, non in regione *masseterica*, sed in ipsa bucca *citra marginem masseteris*, factæ fuerant, perforata ideo utrinque bucca. — In cavo oris viseba-

tur superstes utraque pars mandibulæ introrsum tracta, et medio loco, tum inter se, tum novo labio, mediante fibrosa cicatrice, deorsum adglutinata. Dentes molares superiores, molares inferiores excedebant, ideoque mandere homo haud poterat, sed tantum molibus, pultaceis cibis utebatur.



MORBI ORIS ET FAUCIUM.

Occultus linguæ abscessus. — Oncotomia.

Malum de quo parum, nisi fallor, apud auctores loquitur, sunt occulti abscessus qui in ipsa linguæ spissitudine, citra conspicuam phlogosin, quandoque excitantur. — *Plebejus* prope quadragenarius, bene constitutus, circa finem Decembris 1845, sibi linguæ insolentis aliquid inesse visus est, molestum quemdam in tota linguæ superficie pruritum sensit, cui abigendo, sulphate ferri linguam tetigit, sine levamento tamen, nam pungens in lingua dolor increbuit, lingua medio fere loco crassior quodammodo evasit, jam loqui et mandere sine quodam labore nequibat æger. Quarta die quum scholam accessisset, immutatus erat linguæ tam color quam aspectus, moveri quaquaversus quidem poterat, sed fere in medio aliquantum erat gibba, in tumorem silicet ovatae figurae, et limitibus indefinitis,

quidquam eminentem, sublata. — Locus ille, compressus dolebat, et in ambitu duriusculus videbatur; sub accuratiori vero exploratione, pus altius haerere, nobis visum est: neque facilis equidem fuit illa exploratio, lingua, prae dolore, tum exploranti digito se subducen- te, tum subter, ut est, inani, deficiente igitur tam necessario in abscessuum exploratione, renixu — Im- merso in tumorem cultello acutissimo, protinus pus densum, optimaе naturae, ad cochlearculum fere, pro- rupit. — Levamen mox, perfecta vero sanatio post ali- quot dies contigit, ore dumtaxat tepida foto.

Cancer linguæ insanabilis.

Miserrime habebat foemina mediae aetatis, cujus lin- guam ad epiglotidem usque, cancer exederat: huic, in schola magis ad exemplum quam ad curationem su- ceptæ, totum dextrum linguae latus ulcere cancroso praeduro erat occupatum, neque a malo erant immunes dexter palati arcus et proxima quoque tonsilla: dolo- ribus aegra vexabatur assiduis somnum diu noctuque proripientibus, vesci et loqui nonnisi magna difficultate poterat, saliva indesinenter profluebat, aegrae vires jam fatiscebant. Malum ante annos quinque inceptum, contra quod omnia remedia multis a medicis tentata fuerant, jam nimis alte proserpserat, ut opera cultri prudenter experiri potuisset: nihilominus tamen, ne ali- quid intentantum reliquisset videretur, quidquid cance-

raticum aderat candentibus ferramentis, alte adactis, ambussimus. Lingua subsequenter diebus plurimum intumuit; delapsa circa diem quintam eschara, pus bonum motum est, videbanturque bonae et sinceræ carnes succrescere: ast paulo post, pristinum denuo canceraticum habitum ulcus contraxit, discessitque ægra prostratiori quam venerat animo, decollata scilicet quavis spe sanitatem unquam recipiendi.

Ranulæ tres fibulatione curatæ.

Tumores illos pellucidos, qui sub lingua non raro nascuntur, et in magnam molem subinde turgescunt, circa quorum naturam nondum prorsus conveniunt artis-periti, ter curandos habuimus, singulum apud adolescentem, qui vigesimum annum nondum attigerant. Curatio tam facilis quam efficax, quam istiusmodi tumoribus (ranulam appellant) jamdudum opponere solumus, hæc est. Acus argentea, vel aurea, consuetudinis labiis fissis adhiberi solita, per basim tumoris transfigitur; tum, utraque manu forcipe instructa, uterque acus finis in anulum inflectitur, et in sede illa ad plures menses, plerumque ad annum usque, relinquitur. Ita infibulatus tumor inclusum glutinosum laticem utraque ex plaga evomit, subsedit, amplius non impletur, et oblitterata tandem cavitate, eaque fere in carneum nodum solidescente, prorsus et in perpetuum dissipatur. Jam ægros vidimus plures per hanc curationem

ab aliquot annis in schola sanatos, qui nullum pristini mali vestigium offerebant. Annulus sub lingua hærens nullam excitat molestiam dummodo justæ sit magnitudinis, ejusque fines apprime committantur: huic scopo, juvaret finem alterutrum esse excavatum, quo alterum finem exciperet. Ceterum, omnes in schola quotannis factas curationes, simplici argenteo crassiusculo stamine fecimus, cujus finem alterum excisoria forcipe obliquiter in cuspidem secuimus: stamine per tumorem jam transfixo, tam cuspidatum finem ejus, quam partem ejus superfluam eadem forcipe præcidimus, et extrema staminis in annulum inflexa apprime adpressimus, ne qua forte rima hiaret; ubi enim annulus perfecte non claudatur, se se facile ex plica tumoris quam amplectitur, extricare potest.

*Mandibula plus quam dimidia necrotica, regenerata,
in puella decenni.*

Puellæ decenni rusticæ, magnam cavitatis oris partem massa quaedam ingens, tota lapidea, adeo implebat, ut ex longinquo, insolens illa obliquati et hiantis oris turpitudine, in oculos incideret. Saxea moles, a primo molari dente dextri lateris ad ultimum molarem sinistri producta, erat mandibula ipsa, necrotica, tartaro semipollicem alto, durissimo, levigato, equidem lapideo obvoluta et sepulta. Hanc, quæ jam vacillare videbatur, subjecto vecte totam excussimus, apparente tum in apricum nova mandibula, superstiti veteri parti prorsus continua, firma,

rubella, periostio obducta, sed margine æquali, obtuso, alveolis dentibusque carente, tanquam mandibula edentula et extenuata infantis vel senis. Corporis pristinae mandibulae ea tantum postrema pars superstes erat, cui *tres ultimi molares* dentes erant infixi; reliquum corporis mandibulae, totum novum erat.

De morbi origine, ex puella rudi, decenni, timida, orphana, nil eruere potuimus: faciem autem, totam perpeffis variolis cicatricosam habebat.

Tonsillitis acutissima, reiterata venasectione, extincta. — Tonsillæ hypertrophicæ, excisæ.

Acuta tonsillitide graviter laborabat femina juvenis et robusta, quae jam dudum tonsillam dextram mirum quantum hypertrophicam habebat. Huic, a quinque diebus tam gravis in fauce dolor haerebat, ut, nec salivam deglutire, nec cibos sumere, nec loqui, nec somno frui posset: dimidiam fere faucem occupabat tonsilla tumida et praerubra, rubebat quoque prima palati plica, imo palatum molle fere totum: febres urgebant. — Vix accepta, tumentem tonsillam, una plaga, scarefecimus, tam mane quam vespere sanguinis perquam phlogistici libram ex vena detraximus, et jam ea nocte dormire aegra primum tranquille potuit: subsequa vero mane, mirifice allevatam eam invenimus; extincta fere erat febris, dolor mitissimus. Nullis nisi diaeteticis auxiliis usa, aegra, sexta die prorsus convaluit. Ei,

priusquam Scholam relinqueret, extantem tonsillæ hypertrophicæ partem, volsella et cultello obtuse mucronato excidimus; unde nil doloris, et nil deinceps mali passa, femina discessit quarta die post chirurgiam, quæ decima fuit ab ejus admissione.

Puellæ quoque, annos quinque supra decem natæ, tonsillas utrasque hypertrophicæ, adeoque in faucibus extantes, ut mutuo se fere attingerent, excidimus. Hæc, docilissima fuit, et chirurgiam tam bene sustinuit, ut, neque cubare, neque ullis uti remediis debuerit. Chirurgiam vero, Celsico more fecimus: «*Tonsillas autem, quæ post inflammationem induruerunt, oportet hamulo excipere et scalpello excidere*»¹.

Et hacce quoque vice mirari subivit, dari etiamnum celebres in arte viros, qui, ubi manus et scalper apprime respondent, nova tamen excogitare machinamenta delectantur. — (*Fanestock, Leroy-d'Etiolles*)².

Pharyngitides chronicæ.

Chronicas pharyngitides æque ac tonsillitides, nota syphilitica carentes, reiterato tactu lapidis infernalis, vel concentrata hujus solutione, penicillo excepta, affixis

¹ Celsus, Lib. VII, Cap. XII.

² Recueil de lettres et de mémoires adressés à l'Académie de Sciences, par Leroy-d'Etiolles, etc. Paris, 1844, p: 303.

identidem summo collo hirudinibus, curare consuevimus. Casus aliquot habuimus tonsillarum chronica inflammatione adeo tumentium, ut eæ jam duræ et eminentes, sine opera cultri curari vix posse viderentur: eas tamen, sub usu diu protracto lapidis infernalis, altius in tonsillas, rotando, immersi, sensim recedere, et inter palatinos arcus se recipere, vidimus.

In recenti quoque faucium dolore, a nascitura membranæ mucosæ, vel submucosi textus succensione, usus solutionis argenti nitrici fusi, quamprosperè cessit: hoc remedium scilicet, non tantum chronicam mucosarum membranarum phlogosin, sed ipsam quoque recentissimam extinguere, in hacce quoque membranarum mucosarum provincia potis est, perinde ac potest in acuta conjunctivitide. — In chronica vero angina a syphilitica labe prodeunte, cujus exempla septem adfuerunt, plerumque kali hydrojodicum interne adhibuimus, ejusque mirificam potentiam in syphilide secundaria, sæpissime admirari contigit.

Supremas fauces, a subjecto pharynge, *transversim protenso fere sepimento* separatas, eoque, fere prorsus præclusum ex fauce in posticas nares accessum, quinque vidimus. Casus omnes, quantum videbatur, a syphilide perverse curata procedebant. Prorsus singularis, his in casibus est aspectus, tam oris postremi, quam faucium: totum silicet palatum molle, una cum palatinis arcubus et uvula, in fibrosam, prope cartilagineam, albicantem, cicatricosam, hic glabram, illic

eminentibus plicis tanquam chordis inæqualem membranam degeneratum, postrorsum attractum, et posteriori faucium parieti adglutinatum visitur: in illo autem sepimento, modo angustum tantum foramen patet, modo tantum angusta fissura.

Morbi colli regionem occupantes.

Omniū frequentissimæ collo insidentes aegritudines, quæ nobis occurrerant, fuerunt adenosi tumores colli, chronicæ scilicet adenitides cum hypertrophia, quo morbo affecti ultra quadraginta ægri scholam adierunt. Pars horum tumorum, nondum ad puris generationem spectabat, pars jam in abscessum degeneraverat, (abscessus adenosi) pars denique, abscessu rupto, in ulcus abierat. Aegri istiusmodi, plerumque in ætate puerili et juvenili, quandoque vero in virili quoque versantes, modo *panos* istos, solitarios gerebant, modo vero, inflammato et indurato celluloso circumjacente textu, in glomera coagmentatæ erant glandulae, quæ, ante curationem, unum constituere tumorem videbantur, sub curatione vero, discussa duritie cellulosi circumpositi textus, in discretos tumores dissociabantur.—*Adolescens* vicenarius, ab adenitide purulenta glandularum regionis genio et mylohyoideæ, immensum gerebat abscessum, totum infra-maxillare spatium occupantem, qui pertundi debuit.—*Tres pueruli* adfuerunt, quibus abscessus magnitudinis fere pomi, sub angulo maxillæ subortus, quoque debuit

incidi. — *Puella* annos nota sexdecim, mox supra clavicularam retro externum crus musculi sterno cleido-mastoidei, absque apparentibus præviis inflammationis notis tumorem gerebat magnitudinis nucis, ex illa fossa quidquam extantem, mollem, superne circumscriptum, quem purulentum esse, quidem suspicati sumus, cultro vero incidere, erroris timore, nolimus: — admotis assidue cataplasmatibus tumor sua sponte se rupit, multum puris emisit, dein consanuit. — *In regione carotideâ*, secundum musculum sterno-cleido-mastoideum, ab auricula fere ad jugulum, femina jam quadragenaria ulcus adenosum gerebat, in longitudinem transcurrens, sinuosum, marginibus fimbriatis, rubris circumdatum, glandulis, quas catenatas appellant, hyperophicis insidens. Musculus sterno-cleido-mastoideus antrorsum erat e loco motus, glandulæ illæ alte exulceratæ, et in grumosam quodammodo massam degeneratæ prostabant. Glandulas manubriolo scalpelli e subjecta fascia excussimus, atque ita, canalem quodammodo in regione illa reliquimus, qui, adhibitis fomentis ex infuso chamomillæ, et identidem lapide infernali tactus, duos post menses jam carunculis impletus, ad cicatricem pervenit.

Mirari profecto subit, quam repente aliquando adenitides circa collum et cervicem nascantur, et quam celeriter, se in magnos et præduros tumores attollant. *Sartori* mediæ ætatis, boni aliquin habitus, a latere dextro colli tumor extabat dimidiato pomo æquiparandus, duos tantum ante dies fere repente natus,

nonnihil calens, prædurus, qui singulis fere horis incresebat. — Tam supra quam circa tumorem, quot illa in sede poterant, cucurbitas affiximus, sanguinis ita fere libram extraximus, et intus, prius stibium, dein sulphas sodae porreximus: quarta die, tam glandulæ quam circumpositi textus phlogosis et durities fere prorsus recesserant. Hujusmodi in casibus, ubi non mature efficaciterque succurratur, incredibilem fere duritiem tumores isti concipiunt, et malum sistunt. non nisi diuturnissima curatione solvendum.

Curatio quam plerumque contra adenitides chronicas adhibuimus, fuit interna, in debita præcipue victus et vitæ ratione, in usu chinini sulphurici, barytæ muriaticæ, et kali hydrojodici, posita: — externe vero, in usu fuit unguentum item kali hydrojodici, et emplastrum cicutæ. Profecisse quoque, ad solvendam sclerosin cellulosi textus induratas glandulas in unum tumorem conglutinantis, visæ sunt cucurbitæ cruentæ sæpius affixæ, et reiteratus identidem usus emplastrum vel tincturæ cantharidum, remedia scilicet, ad solvendas chronicas phlogoses efficacissima. — Abscessus adenosos *sine cunctatione* incidendos esse credidimus, eosque cultro, non caustico, aperuimus: ulcera adenosa, sine unguentis, sed spleniis tantum humentibus curavimus, reliqua vero curatio eadem fuit ac in tumoribus non exulceratis. — Quum vero aegritudines istæ, sæpe curationem, non tantum per menses plures, sed per annos quandoque protractas desiderent, ideoque ad stativam clinicam minime

sint opportunae; quum insuper in policlinico susceptae, ab aëgris constanter persequi vix unquam soleant; vix aliquid circa illarum prosperum vel improsperum eventum, quadam cum certitudine, affirmare possumus.

Nonnulla experimenta suscepimus circa efficaciam salis culinæ, tam externe quam interne adhibiti, ad solvendas chronicas colli adenitides: suberat enim desiderium experiendi, auxilium quod in populari morbo, populare quoque esset, et pretii vilioris. — Remedium utique profecisse visum est, quatenus vero sit commendandum, nondum dicere ausim.

Cancer glandularum colli et maxillæ mortiferus.

Glandulas lymphaticas ex latere sinistro colli, in apertum cancrum, a maxilla ad claviculam extensum degeneratas, una cum canceratica quoque labe maxillæ inferioris ejusdem lateris habebat plebejus quinquagenarius, qui, inde ab anno malum incepisse, a tribus mensibus vero in ulcus abiisse, asserebat. Viribus exhaustus, facie tota oedematosa, lenta febre consumptus, periit aliquot post dies quam in schola acceptus fuerat. Praeter canceraticam glandularum colli et maxillæ degenerationem, multa in hepate quoque sparsa canceratica tubera, sectio cadaveris exhibuit.



*Abscessus in fossa suprascapulari dextra, profundus,
gravis.*

Aegros duos, colli abscessu notatu digno laborantes, habuimus: apud alterum horum, abscessus in *fossa suprascapulari*, sub fascia; apud alterum autem, in ipsa *vagina musculi sterno-cleido-mastoidei*, abscessus haerebat. — *Equiso* corporis adusti, temperamenti ut ajunt biliosi, annos natus fere triginta, ineunte Novembri 1845, ex nimio labore et lassitudine, prius levibus, mox vero gravioribus in media fossa supraclaviculari dextra doloribus prehensus est, ita, ut præ dolore caput in latus affectum inclinatum tenere, cubare, brachium pulvinaribus suffulcire, dies noctesque misere transigere, coactus esset. Post primam hebdomadam, locus dolens, aliquantum, sine rubore tamen, sublatus est, cruciatus perstabant, imo ingravescebant, emplastra et unguenta, quibus utebatur, nil prorsus proficiebant. Jam altera ita misere exacta hebdomade, doloribus, vigilio et jejunio extenuatus, viribus defectus, in scholam se contulit aeger, 29 Novembris. — Suberat cervicali fasciae in media fere supraclaviculari fossa abscessus profundus, tensa erat cutis, sublucida, vix tamen rubebat et prominebat locus affectus, sed ab attactu plurimum dolebat, doloribus deorsum in totum brachium, sursum in cervicem et caput diffusis; fluctuatio obscure admodum, propter nimiam abscessus profunditatem, percipi poterat — Cultello angustissimo caute


in medio tumore, ad altitudinem pollicis circiter, immerso, magna vis boni puris prorupit, magnopere protinus levabatur aeger, somni revertebantur, erigebantur vires: interea cataplasmatibus assidue fovebatur regio affecta, pus quotidie exprimebatur, in labro tepente quotidie plures horas aeger transigebat. — Quinta vero die quam apostema incisum fuerat, sub noctem vehemens movebatur febris, cutis circa vulnus rubore suffundebatur, laboriose noctem aeger transegit. Mane, a tartaro stibiato (gr. iij) biliosa vomuit, multum sudavit, omnia emendabantur, ad vesperem prorsus sine febre aeger fuit: sed erysipelas circa locum colli vulneratum perstitit, insequentibus diebus ex cervice supra scapulam tetendit, dorsum totum ad lumbos usque, pervasit. — Loca erysipelate tentata, affatim quotidie tinctura jodii inficere curavimus, intus acidum muriaticum dedimus. Interea, puris proventus quotidie parrior fiebat, donec exsiccato jam prorsus puris fonte, fatiscente cuticula in locis quae erysipelas permeaverat, aeger restitutus abiit die 17^{ma} ex quo scholam adierat.

Abscessus in vagina muscoli sterno-cleido-mastoidei ¹.

Distortum et in latus sinistrum inclinatum caput, jam a diebus decem indesinenter tenebat puella tenera, vix quindecim annos nata, quæ mœsta et aliquantum febriculosa in scholam adducta est, sexta maii. Dolorem

¹ *Velpeau*. Leçons orales. Bruxelles, 1841, p: 675.

circa sinistrum colli latus accusabat, neque ad erigendum recte caput adigi præ dolore poterat; explorata, mutatam vidimus musculi sterno-cleido-mastoidei figuram, qui scilicet circa medium, in tumorem quodammodo fusiformem, circum renitentem, deorsum vero fluctuantem erat sublatus: tumorem in alterutrum latus manibus temperate compulsus totus quoque musculus sequebatur: tumor jam partim purulentus, sub pressu plurimum dolebat, tamen immutatus erat cutis color. Abscessum in vagina sterno-cleido-mastoidei inclusum, immerso cultello, deorsum incidimus, et puris multo magis prorupit, quam ex tumoris mole suspicari potuisset. Decimam post diem, adhibitis cataplasmatibus, tumoris vestigia fere nulla supererant, sed rigiditas non mediocris in musculo sterno-cleido-mastoideo persistabat, contra quam unguentum Kali hydrojodici domi adhibere, ægræ suasimus.



MORBI PARIETIBUS THORACIS INSIDENTES.

Cancer mammæ dextræ.

Mulier urbica, sex supra quadraginta annos nata, sexies feliciter enixa, habitus adusti, irritabilis, mense octobri in scholam suscepta, proles suas omnes plerumque sinistra, fere nunquam vero dextra mamma lactasse, nobis narravit quin rei hujus causam quamdam adduceret, et quin inde

mali aliquid unquam sensisse recordaretur. Menstruis etiamnum purgationibus, sine constanti tamen lege, fluentibus, ante annum circiter, in febrem repente incidit gravem, aliquot protractam diebus, sub qua, sinistra ei mamma dolere coepit: cataplasmata tum sibi provide admovebat, doloresque inde aliquantum mitescebant; sed duram esse jam tum mammam ægra animadvertit. Insequentibus mensibus dolor assiduus mammam tenuit, interea papilla et areola quodammodo fatiscebant, et subiecto tumori duro ac renitenti adhærescebant: circa sextum morbi mensem, infra papillæ locum cutis paululum fissa est, et per brevem angustamque rimam humor effluxit, cum quodam dolorum levamine. Sed post mensem circiter, fluxus ille cessavit, dolores tum ingravescabant, latescebat tumor, et ægra jam ipsamet canceraticam morbi naturam agnoscens, se ultro in scholam obtulit, ut malum cultro e medio tolleretur.

Triduo post, mammam totam, quæ minoris molis erat, una cum papilla et areola adhærescentibus, duabus sursum lunatis plagis excidimus, vulnus in axillam usque produximus, et glandulas nodosas et duras quotquot ibidem delitebant, curiose evulsimus. Excisio ita fiebat, ut satis cutis ad contegendum vulnus superesset; hujus igitur oras sutura nodosa conneximus, et vulnus splenio tomentoso humente proteximus. Sanatio magnam partem sine pure contigit, vulnus scilicet fere totum, mutua conglutinatione conferbuit; in medio vero superiore panno parvus aderat locus, qui extenuatissimus quum fuis-

set, periit, hiante plagula, quæ celeriter novis carnibus impleta est. Aegra, nondum exacto mense a curatione, vulnere jam coalito, discessit. — Rescivi, ægram hanc domi ad nonum usque mensem sat bene se habuisse, decimo vero, ortis symptomatibus canceraticæ ventriculi degenerationis, periisse, quin cicatrix recruderit.

Cancer mammæ sinistræ et axillæ. — Extirpatio. — Symptomata gravissima ab inflammatione suræ dextræ.

Plebejæ quinquagenariæ, mamma sinistra, tota cuti nigrescenti adglutinata, et in nodum quodammodo vel tuber durissimum contracta, e sede naturali mota, et ad marginem axillæ anteriorem attracta erat, quin subjectis musculis adhæreret. Tumorem, vix pugni magnitudinem æquantem, duabus plagis ab axilla ad sternum deorsum productis exceptum, excidimus; in fossa vero axillari nodosas, permultas, altissime hærentes glandulas, hic unguibus evellimus, illic forficibus abstulimus, prorsus nuda prostante vena axillari, nudo quoque nervorum fasce. Plaga autem, mox post extirpatum tumorem, qui, ut monui, vix pugnum superare videbatur, tam vastâ patuit, ut magnam partem sinistri thoracis occuparet. Vulneris oras committere, vel pannos subsecare ut se mutuo attingerent, prorsus absurdum fuisset; quare, nec emplastris, quæ vulnus vexavissent, vulneris oras attraximus, sed totam rem naturæ reliquimus, vulnus dumtaxat de more proteximus. Ab inflicto vulnere febris movebatur non nimia, pus

bonum vulnus reddidit, oræ conspicua rapiditate coarctabantur, vulnusque rectissime ad sanationem, in vigesimam quintam usque diem, procedebat: tum vero repente, pro pure saniem vulnus secernere cœpit, et carunculas pallescere, livescere, paucos post dies prorsus exæquari, glabras fieri, nudas quodammodo et siccas prostare pectoralis musculi fibras, eminere et transparere costas, faciem et habitum aegrae matari, nova febre fatiscere vires, rem in praecipiti esse, vidimus. Circa illud tempus scilicet, repente dolor acerbus totam suram dextram occupavit, sura, cum magna duritie, sed nullo rubore, valde intumuit, levem pressionem vix sustinebat, quidquam œdematosum crus totum evasit. Hoc malum, ab inflammatione musculorum surae pendens, cum febre nascebatur, et mutationes illas pessimas tam in vulnere quam in toto corpore induxit, et mirum quantum aegram exercuit, detinuit et fere confecit. Vomitorium quod statim exhibitum est, hirudines, reiteratae cucurbitae cruentae, fomentorum tepentium assiduus usus, sinapismi, frictio mercurialis affatim ad plures dies facta, tandem frictio unguenti jodati, remedia fuerunt quae in usu trahebantur; sed surae malum, per integrum mensem perstitit, et per hoc tempus febriculosa erat aegra, extenuata, debilis, cibos aversabatur; plaga mortui fere corporis videbatur, pus nullum reddebat, nullæ carunculae, ubique levitas, livor, nullus vitae labor. — Mense exeunte, recedente denique tam dolore quam surae

duritie, propinata aegrae china, febricula recessit, et mox pus in vulnere renascebatur, carunculae denuo pullulabant, aegræ vires reficiebantur, faciei habitus emendabatur, lectum jam relinquere identidem aegra potuit, et tertio exeunte mense, tandem scholam sat confirmata reliquit, plaga ad cicatricem jam proxima.

Nil de hacce femina, quae urbica non erat, rescire hucusque potuimus: scirrhi vero natura ejusmodi erat, ut funestus eventus valdopere sit timendus; nam, degeneratae quoque fuerant glandulae axillares, — cutis, nigrescentis erat coloris, — mammae adglutinata, — in tuberosam degenerationem abrepta: casus scilicet, ad eos pertinebat, qui, recte monente gravissimo illo auctore *Brodie*,¹ vix unquam faustam prognosin admittunt. — Chirurgiam inviti, sed ab aegra adacti, suscepimus.

Rarum canceri globosi exemplum.

Exemplum canceri cutanei tuberosi seu globosi (*Alibert nosol: nat:*) illo nunquam spectabilius vidi, quod in rustico quodam tricenario, pallido et extenuato videre contigit. Huic scilicet, in toto fere thoracis dextro latere, latissima basi, ex cute immensum se attollebat glomer tuberum canceraticorum, quae, hic coloris flavescens, illic impure cærulescentis, hic pomi, illic pruni magnitudinem, hic scirrhosam duritiem, illic jam quamdam

¹ *Brodie*. Lectures illustrative of various subjects in Pathology and Surgery. London 1846, p: 196.

molitiem offerebant. Tuberosa hæc moles ex ipsa cute succrescens, subjacentibus musculis non adhærebat, sed circum contenta, in tumorem scilicet attracta erat cutis, vorticosis, turgentibus, confertissimis venis latissime circa tumorem populata. Nimis labefactatus viri habitus visus est, ut tumoris, qui ab annis octo initium cœperat, extirpatio suscipi potuisset.

Abscessus chronicus in regione scapulari dextra.

Chronici abscessus, qui corporibus cachecticis subinde innascuntur, aegritudinem saepe sistunt profecto gravissimam, quandoque mortiferam, cujus si quae feliciter curatio contingat, digna est quae memoretur.—*Puellæ* decimum tertium annum agenti, infra scapulæ dextrae angulum, abscessus ex illis quos lymphaticos nonnulli hucusque auctores perperam dicunt, pedetentim obortus est, eoque crescente, in deterius ruere ægrae valetudo videbatur, inordinatae scilicet febres aderant, carnes extenuabantur, arteriae justo frequentius pulsabant, facies livore suffundebatur: paupera tamen puella victum famulando quaerere cogebatur, etsi peraeagre labores sustinere posset. Tumorem cute naturali tectum, fluctuantem, tantae magnitudinis ut tota manu vix contegi posset, prima die, exploratorio cultello pertudimus, et fere poculum cinerei puris eduximus. — Tum per hebdomadem intensius febricitavit aegra, rursusque tumor impletus est: exhibito vero

tres per menses kali hydrojodico, factaque quotidie supra tumorem frictione ex unguento plumbi jodati, tumor prorsus evanuit, et totus deinceps puellae habitus commutatus est adeo, ut nuper, illa tam alacris et apprime valens se nobis praebuerit, quam pridem exhausta fuerat, pallida et moesta.

Tuberculum in medio sterno et in teste.

Puero decenni medium sternum in tumorem erat sublatum valde extantem, et medio loco, fistulosum iter ad os corruptum descendebat: ex fistuloso itinere pus multum promanabat. Mali, ab annis jam quinque exorti, primam originem tuberculum in osse natum fuisse suspicabamur, nam in teste sinistro quoque, qui triplo erat major, latitare tuberculum visum est. Aegro obambulanti chininum et ferrum jodatum porreximus sine multa tamen fiducia vitae diuturnioris, tuberculosa labe alte nimis, ut videbatur, radicata.



MORBI ABDOMINIS.

*Hernia scrotalis externa, incarcerata. — Kelotomia. —
 Strictura altius in abdomine occulta. — Laparotomia. —
 Sanatio.*

Mercator annos duos supra viginti natus, firmissimæ valetudinis, sex abhinc annis quum forte grave pondus sublevasset, intestina per inguen dextrum in scro-

tum prolabi sensit, subitaque calamitate atque dolore quodammodo obrutus, in humum corruit exanimis: mox in Nosocomium deportato (Mosquæ) prolapsa intestina sine labore chirurgus refundebat, suaque in sede, aptato subligaculo, continebat. Sex fere per annos, debita diligentia bracherium gestavit æger, Januario vero anni 1845, quum forte bracherium in itinere amisisset, nullumque inde incommodum persensisset, veteri sanitatis adminiculo novum substituere neglexit, saltem ad mensem usque Junium, in quo scilicet evenit, ut intestinum rursus per inguen descenderet, ideoque admonitus æger novum sibi subligaculum aptaret. Trigesima vero Septembris, post comensationem lautiolem et computationem, suborto vomitu, intemperanter ingesta æger rejiciens, intestina in inguen provolvebantur iterum, iterum ipsemet æger provoluta refudit. Tum erecto rursus animo, ex convivio per urbem cum sociis curru vectus, tanquam bacchaturus vagabatur: sed vix domum reversus quum fuerat, dolor iterum inguen occupavit, et intestina naturali ex sede rursus mota esse æger animadvertit, eaque, quacumque adhibita diligentia, in abdomen repellere nequivit. Paulo post, pluries vomuit æger, totamque noctem graviter transegit: mane autem anxius, nausea, vomitu et dolore tam inguinis quam abdominis divexatus, in Scholam translatus est.

Vena statim secta est, tumori totique abdomini cataplasma emolliens superdatum est, ano hirudines 30 affixae sunt, terque clyisma ex infuso nicotianæ injectum

est, reiterata in balneo identidem, sed temperatissime, taxi. Circa secundam post meridiem, quum hernia refundi nondum potuisset, jamque horæ quindecim ab incarceratione essent præterlapsæ, intestina cultro reponere statuimus. Inciso in longitudinem tumore, et sacco jam patefacto, totam tumoris molem magis ab incluso seroso latice quam a prolapsa intestini ansa provenire, patuit; hæc enim erat brevissima, neque in externo canalis inguinalis hiatu, qui amplissimus erat, strangulata. Propulso altius secundum ansam prolapsi intestini digito indice, stricturæ locus nondum obveniebat; quamobrem, patefacto in longitudinem supra digitum canale toto ad internum usque ejus hiatum, digitus ultro in abdominis cavum jam compelli utique potuit, quin tamen sacci collum pertingeret. Re ita se habente, jam suspicio nascebatur occultæ, ignoto loco et modo, strangulationis. In casu tam ancipiti, quum neque saccus, neque intestinum, trahendo, sequerentur, abdominis parietem, extra iter arteriæ epigasricæ, sursum et introrsum, indicem sinistrum semper sequentes, ad palmae latitudinem incidimus. Tum, jam latissima in cavum abdominis patente via, digitus, intestini ansam, quam minister deorsum tendebat, sequens, tandem in locum offendit vix quatuor transversis digitis ab umbilico dissitum, ubi repente annulus rigidus ansam arcte amplectebatur. Eum annulum quatenus fieri potuit deorsum ad praximum vulnus attractum, jamque in conspectu positum, subjecto specillo sulcato patefecimus, sublata ita incarceratione. Tam rigidus

autem erat annulus ille intestinum stringens, ut, sub ejus sectione, adstantes ipsi stridorem eo simillimum audierint, quem tendines dum secantur edere solent: interna annuli ora intestino obversa, fere *cartilagineæ remoræ* adinstar, mirum in modum exstabat, et intestinum ubi ab illa cartilaginea fere ora amplectebatur impressionem gerebat antiquam, altam et duram.

Chirurgiam nullum, quod vel parum terreret, symptoma sequutum est, si excipias abscessum in scroto a congesto pure subortum, qui debuit incidi. Vulnus superne mutua adglutinatione, deorsum suppuratione coaluit, restitutusque aeger discessit subligaculo munitus, die trigesima.

Hernia inguinalis dextra, externa, incarcerata.—Mors tertia die post chirurgiam.

Juveni annos nato quatuor supra viginti, cui ante duos annos strangulata in dextro inguine hernia taxi feliciter reposita fuerat, octava Septembris anni 1845 quum fossam saltu incautus transiliisset, etsi brachium gestaret, hernia suffocata est. Quinta circiter post meridiem hora, vix prima ab incarceratione, aeger in scholam translatus omnia acutæ incarcerationis signa offerebat. Plurimum dolebat herniæ locus, tumor mediocris molis valde renitebat, faciei insolitum luctuosum aliquid inerat, alte gemebat aeger, et innixe petebat ut ei subveniretur: nausea vexabatur, vomebat, mox omnia, quæ ei ingerebantur, rejiciebat.—Perstabant,

imo ingravescebant suffocationis signa ad mediam usque noctem, nec adhibita auxilia, balneum scilicet, glacies, clyσμα ex tabaci infuso, oleum terebinthinæ quod mox æger rejecit, hirudines, et reiterata taxis tentamina nihil prorsus profecerunt, tumor eodem semper renitebat modo, quasi vesica fluido vel aëre ad summum impleta. Quapropter, media jam nocte, sexta scilicet hora ab incarceratione, tumorem incidimus, et ansam intestini invenimus ex livido rubram, aëre praetumidam, equidem magis a nimia distensione quam ab angustia colli strangulatam: et re quidem vera, facile fuit angustatum locum parva incisione adeo diffundere, ut indicem digitum jam exciperet, sed non facile fuit turgentissima intestina refundere: protracta vero ex abdomine nova ansa compulsoque aëre, herniae recessus successit. — Postera mane aeger nondum faeces ejecerat, injecta tantum clysmata exhibant: de nocte ex vulnere deorsum sanguinis aliquot unciae stillarunt, suapte sistente, duas post horas, stillicidio. Circa decimam, ab aqua pullnana dejecit aeger semel et parce, per diem vero acute febricitavit quin venter imus dole-ret vel tumeret. — Sub vesperem anxius et morosus erat, saepe ex altero in alterum latus per lectuli spatia jactabatur et acerbum in teste dolorem querebatur, contra quem noctu hirudines quindicim scroto affigebantur. A clysmatibus saepius injectis amplius non dejecerat etiamsi per diem libras duas aquae pullnanae aeger hausisset. Altera die mane abdomen

inflari et dolere coepit, facies sinistre mutata est, pulsus 120^{ies} micabant, per diem vomitu saepius vexabatur aeger, vires fatiscebant, sitis urgebat, lingua tamen pallidissima erat. (*Cataplasma, infusum Camphoræ*). Noctu singultus, nausea, extrema frigida, tempora circumtensa, anxietas, inquietudo, cubatio incomposita, faeces nigricantes, foetentissimae, pulsus 120, vacui; circa mediam noctem extinctis sensibus morituriens jacebat; obiit quarta matutina tertiae diei.

In cadavere intestina erant aëre distenta, nullibi vero, praeter ilei ansam quae incarcerationem sustinuerat, inflammata: haec octo erat pollices longa, ruberrima, rubore inflammatorio, non diluendo. Cætera organa sana.

Hernia adumbilicalis cum ascite et anasarca.

Villico prope quinquagenario hydropico et ascitico vetula abdomini magnam superimposuerat cucurbitam, post quam, (ut aeger narravit) in tumorem umbilicus extuberavit ad pugni magnitudinem. Cutis extantis umbilici, aliquot post menses, parvam fissuram medio fere loco contraxit, eaque ex rima indesinenter latex profluxit, et etiamnum profluit. Ab illo inde tempore valde allevatus est aeger, anasarca et ascites dissipabantur: abdomini tamen subesse adhuc aliquid aquae videbatur, etsi aeger erectus et obambulans morbum bene sustineret. Tumor ille, erat prope rotundus, reduci non patiebatur, et fluido laxo erat impletus, quod etiam repel-

li haud poterat. Non umbilicalis, sed *adumbilicalis* herniae (*Gerdy*) exemplum esse, visus est.

Pueris a natu herniosis, quorum quatuor advenerant, in plures menses protractam cubationem, pondere inguini superdato, suasimus; hoc enim dumtaxat auxilio, quandoque curatas vidimus in juventute hernias, dummodo aegri diuturnissimam cubationem patienter pertulerint.

Ascites cum anasarca.

Caupo robusti corporis, asciticus, et toto quoque corpore hydropicus, ineunte Februario in Scholam venit, ut abdomen protensum, ei pertunderetur. Is, annis quatuor abhinc, intermittentem febrem diu passus fuerat, post quam tamen, ad postremos usque quatuor menses, sanus vixit. Tum vero, quum male calceatus lutosam per viam iter fecisset, iterum febre, alternis diebus stata hora accedente, aggressus est, quae post mensem, aegrum toto corpore hydropicum reddidit. Aegri arteriae, explorantem digitum metallicaе chordæ adinstar feriebant, 90-ies circiter micabant. Haec pulsuum conditio, quum phlogisticam morbi naturam ostendere nobis videretur, curationem ei naturae oppositam, morbo opponere statuimus. Primum igitur venam secuimus, quae sanguinem reddidit crusta obductum, et *prima* hebdomade quotidie unciam unam sodae sul-

phuricae aegro exhibuimus: *secunda* hebdomade infusum digitalis ex drachma paratum porreximus, eaque exeunte, tam ascitidis, quam anasarcae signa, erant dissipata. *Tertia* hebdomade, ægrum sulphate Chinini uti voluimus, quo intermittentis febris causa, in abdomine latens, ex qua, secundarium quasi malum, ascites quoque ortum duxerat, ex asse tolleretur. — Prope mirifica celeritas fuit, qua corpus, aqua inter cutem gravidum, jam prima detumuit hebdomade, post sectam venam et adhibitam sodam sulphuricam.

Adenomesenteritis.

Lentam adenomesenteritidem, qui morbus passim, antiquato nomine atrophiae mesentericae venit, curandam subinde habuimus in puerulis, quibus plerumque oculi quoque laborabant, et universam, potius quam oculorum topicam curationem, postulabant: his ut plurimum alvus erat soluta, digestio alienata, nutritio præpedita, lingua immunda, punctata, non raro ad limbos rubra; carnes flaccescentes, pendulae, extenuatae, abdomen magnum et durum. Curatio, quae ut plurimum in usu fuit, perexiguus constabat calomelani et chinini sulphurici dosibus, cum primis habito respectu ad rectam vitae et victus rationem. Vidimus subinde, post primam circiter curationis hebdomaden, digestionem emendari, alvi dejectiones naturales fieri. — Sed hujusmodi aegritudines diuturnam nimis curationem

postulabant, ut aegrotuli in policlinicum tamdiu adducerentur, quamdiu necesse fuisset, ut sanitas ex asse esset redintegrata.

Mors a necrosi ossis sacri et innominati dextri: immensus abscessus totam sacri, clunium, et altam femoris regionem hujus lateris occupans.

Rustica secundum et vigesimum annum agens, justæ staturae, semper sana, a tribus annis viro nupta, 13 Augusti anni 1845, primam prolem, nascendo extinctam, stato tempore edidit, partu difficillimo, tres dies protracto, naturaliter tamen absoluto. Altera a partu die dolor in coxa dextra acutus moveri coepit qui nunquam se postea remisit, imo quotidie gravior evasit, coxae et ilium regionem totam occupavit, et se ad genu et talum usque diffudit. Femore attracto, prae dolore, immobili, cubabat aegra ut plurimum prona in ventrem, subinde in latus sanum, neque ex lectulo se proripere unquam potuit. Sex hebdomadibus acerbissimos inter dolores et assidue febriens transactis, in tumorem attolli tota ilium et coxae et summi quoque femoris regio coepit, cutis oedematosa facta est, doloresque assurgente tumore quodammodo mitescere visi sunt. Interea tumor paulatim altius se se diffundebat, superne jam lumbos attingebat, et in latus oppositum supra sacrum irruens, ad coxam usque oppositi late-

ris pervenerat : ita circa quartum morbi mensem , hectica febre confecta aegra in Scholam transvecta est, 8 Decembris anni 1845.

Facies pallidissima , œdemate subtumida, palpebrae œdemate tumentes, aliquis genarum roseus rubor, oculi languidi, lucentes, fere diaphani, corpus extenuatum, cerei fere palloris. Tota clunis dextra a lumbali regione ad medium fere usque femur, cum sacrali regione tota, in abscessum sublata erat immensum, tensum, cute pallidissima ubique tectum, ingente puris mole undatim fluctuans: quivis trunci et femoris motus impeditus, aegra cernua, attracto artu affecto prona jacebat, mirum prope in modum prominente tota dextra pelveos regione, a lumbis ad medium femur, a pube ad coccygem. Hectica febre consumpta periit aegra 12 die ex quo accepta est, et per eos dies ex pertuso abscessu triginta circiter librae puris profluxerunt: altera quavis die scilicet, tumorem pertudimus, et libras tres quatuorve puris ex eo evocavimus, ut aliquid saltem levaminis a relaxata tumoris tensione, aegra perciperet.

In cadaveris sectione, pure absumpti reperti sunt musculi omnes internae externaequae pelvi accumbentes, ossa innominata cum sacro et coccyge necrotica et fracida. Viscera in majori et minori pelvi contenta, a tanta ossium et musculorum degeneratione protegebant incrassatus et sclerodes subperitonealis textus, et dura incrassataque fascia tam pelvia quam iliaca.

Pus ex interna pelvi, se, per incisuram ischiaticam extra pelvim supra os sacrum et ilium in magna spatia diffundebat, et absumptis gluteis postrorsum in femur irruebat; — antrorsum item et sursum, puri lata via patebat directe ex fossa iliaca in femur, perforata insertione musculi recti femoris; — deorsum denique et introrsum, pus ex pelvi ima femur pervadebat, perforatis et absumptis pectineo et obturatoriiis: innominata igitur ossa cum sacro, *tam intra pelvim, quam extra illam*, in magno quodammodo puris oceano erant immersa.

Inflammatiō venarum ad systema uterinum et ad extremitatem inferiorem sinistram pertinentium, a partu. Pneumonitis. — Mors trigesima die.

Ancilla secundum et vigesimum annum agens, jam dudum sana, postquam clandestino utero gestasset, stato tempore, mortuam prolem enixa est, partu difficili: vix plura circa partum colligere licuit ex aegra rudi, quae sub partu sine sensibus jacuisse aiebat. Octava a partu die lectum deseruit, domesticisque laboribus totam se denuo dedit, et in iis sine conspicuo incommodo hebdomade perstitit. Jam vero, decima sexta die a partu, dolor suram sine rubore occupavit, et per noctem femoris internam quoque faciem pervasit: postera die, crus totum et femur valde intumuerunt, totum artum dolor affligebat, eumque prae dolore et

tumore ne hilum movere aegra poterat: quamobrem, in scholam translata est tertia morbi die, quae fuit 22 Feb. anni 1846.

Cruris et femoris fere naturali duplex erat moles, tumore aequali, fere candido, renitente, qui foveam a pressione non recipiebat, resiliente compresso loco: artus dolebat, et vehementiores erant dolores ad internam artus faciem et in fossa inguinali: lochia fluebant, neque ab imo ventre dolere aegra ajebat, aliquem tamen dolorem accusabat ubi iliaca et hypogastrica regio altius premebantur: sine febre erat, sed pulsus contracti et subduri 90^{es} micabant.

Prima et altera die potionem hausit diaphoretico-catharticam ex infuso sennae, sambuci, et menthae cum acetate ammoniae, saepius dejecit, affatim die nocteque toto corpore sudavit. *Tertia die* mirum in modum artus detumuerat, crus flecti jam poterat, sub tactu valde mitiores erant dolores, aegra commode habebat, plurimum sudavit, nocte dormivit, lochia fluebant. *Quarta et quinta*, adhibita eadem potione, artus moles erat fere naturalis, circa melleolos tantum œdema aliquod tenebat, in sura aliquid ruboris et doloris aderat: pulsus 85, contracti, nonnulla sitis, lingua subsicca, caeterum commode habere aegra sibi videbatur, doloremque nullibi accusabat. *Sexta* pulsus contractus, sub ipso quoque sudore haud dilatatus, siticulosa erat aegra, nil tamen querebatur, artum libere movebat. (*Secta vena, sanguis crustam exhibuit*

concauam, duram, crassam.) *Nona*, tanquam sana aegra se gerebat, sine artus dolore surgebat et aliquantum obambulabat, jam veniam domum repetendi flagitabat: sed contractus etiam num post venaesectionem et justo frequentior erat pulsus: quamobrem abeundi venia non concessa est aegræ profecto nondum restitutæ, ex conditione enim pulsus aliquid in recessu latitare videbatur. *Undecima* ad meridiem, repente dolor infra mammam dextram motus est, prægresso mediocri horrore aegra incaluit, postmodum affatim sudavit, nocte pervigil fuit, sub mamma dolor assidue tenuit. (*Pectori sinapismus, clyisma, infusum diaphoreticum*). *Duodecima* dolor sub mamma perstabat, alte inspirare sine dolore aegra nequibat, tussis mota est, sputa sanguinis strias offerebant, pulsus 100, exiles, prostratae vires: loco dolenti hirudines 15 affigere, intus ex libra aquae grana quatuor tartari stibiati subinde sumere, pectori cataplasma superdari iussimus. Circa tertiam post meridiem, per horam integram inhorruit aegra, calor non sequebatur, pulsus dejecti et parvi: nocte tussis magis urgebat, sputa cum sanguine ejiciebantur, vires labebantur: post mediam noctem repente dolor in pectore acerbissimus evasit, respiratio anhelans cum lethali roncho, pulsus evanescebant, extrema frigescebant, facies pervertebatur, secunda matutina, mortua est.

In cadavere, saphena et femoralis vena affecti lateris concreto et parietibus venarum adhærente sanguine

turgebant; cruori pus erat confusum: cellulosus textus venis adjacens, valde induratus, et tam venis quam proximis quoque partibus adeo connexus, ut nudari venæ non nisi cum labore potuerint. In pelvi, vena iliaca quoque, concreto grumoso sanguine impleta, intus rubra: idem quoque vitium tum in vena spermatica, tum in plexu venoso uteri, qui plexus sanguine concreto erat refertissimus. Uterus dissectus et expressus, hic illic concreti puris ex venarum ostiis exeuntis vestigia prodidit. — In thorace, inferior lobus pulmonis dextri in primo gradu pneumoniæ. — Cætera organa sana visa sunt, neque in hepate vestigia puris reperi potuerunt. Conspicuiissima fuerunt in cadavere signa phlebitidis venarum ad systema uterinum et ad extremitatem inferiorem adfecti lateris pertinentium.



MORBI SYSTEMATIS GENITO-URINARII.

Quam fertilis præteritus, tam calculorum urinalium pauper is annus fuit, in quo scilicet quinque tantum, in illo vero, tres supra decem calculos manu et scalpro curavimus. Præter hos quinque, alios quoque duos calculo laborantes viros habuimus, quos tamen non incidimus: horum alter scilicet, hectica consumptus, purulentum lotium assidue perdens, periit paucos post dies ex quo susceptus fuerat: alter vero, strictura urethrae circa bulbum hærente laborabat, qua sublata, calculum

in vesica hæere intelleximus, qui tamen nullam omnino molestiam movebat, et neque a nobis, neque ab ægro suspicatus fuerat: aeger ideo calculi curationem sustinere noluit, etiamsi ejusmodi esset, ut, diffusa jam strictura, saxifrago instrumento curari potuisset.

Calculus urinarius unciarum quinque, vesicam implens, in cadavere hominis sexagenarii repertus.

In cadavere hominis illius sexagenarii calculo vesicæ laborantis, qui quum hectica jam esset confectus jamque moriturus, in schola, magis ad necroscopiam quam ad curationem susceptus fuerat, sequentia invenimus vitia insanabilia. Vesicam urinariam contractam, duram, crassissimam magnus implebat calculus ovatæ figuræ, *ponderis unciarum quinque*. Interna vesicæ tunica erat fungosa, coloris livido-rubri, et ex ea binæ pendebant graciles excrescentiæ dimidium fere pollicem longæ, polypos æmulantes: inter ipsas vesicæ tunicas sanies concludebatur: prostata justo grandior et durior: urethræ initium punctis rubris notatum: ureteres digitalis fere amplitudinis, parietes valde incrassatos, et internam superficiem prærubram præbuerunt: utriusque renis moles duplo fere justo major, compages mollissima et flaccida, cavi visceris adinstar: renes dissecti, ex cortice tantum conflati videbantur, et ex utroque illorum unda puris prorupit.— In pectore, pulmones sine labe, sed cor molle, flaccidum, et aorta osseis testis notata; valvulæ ejus aliquantum crassæ et

rigidæ, marginibus asperatis. — Calculus autem, erat figuræ ovatæ et compressæ, coloris pallidi, naturæ uricæ: tota ejus superficies erat *erosa, tanquam teredine exesa*: tam in una quam in altera calculi facie, secundum longitudinem alte exaratus visebatur *sulcus*, qui minimum fere digitum recipere potuisset, et per eos sulcos lotium ex utroque uretere descendens, ad ostium vesicæ ferebatur.

Ad originem vero, et ad prima mortiferi hujus morbi signa quod spectat, rescire tantum confecto ex homine potuimus, se tres ante annos morbum quo conflictabatur primum sensisse: quum scilicet in itinere herilem currum sequutus esset, necessitate mejendi circumventus, ad tres cunctari horas coactus fuerat donec locum primæ moræ attigisset, ubi ex curru ad mejendum descendere potuisset: tum vero, incredibilem circa pubem et in perinæo dolorem persensit et lotium emittendi impar fuit, perinde ac si circa urethræ initium hæsisset aliquid, quod iter præcluderet: tandem tamen, premendo, et colem trahendo, multum ex urethra concreti sanguinis expressit, quem, uberrimum subcruenti lotii effluvium, inefabili levamine, sequutum est. Vix elapsa a primo casu hebdomade, repente noctu, in eamdem rursus calamitatem incidit aeger, magno dolore et colis erectione, neque prius lotium emittere potuit quam ex cole concreti sanguinis crassa stamina promserit. Ab illo inde tempore, mictus cum dolore semper fiebat, urinae purulentæ evaserunt, mejendi

nisus fere perpetuus aderat, emaciari homo cœpit, neque malis suis unquam levamen afferre aliquod poterat, nisi aquam frigidam affatim bibendo. Postremis vero mensibus assidue febriens, viribus defectus, lotium sine intermissione perdens, in scholam tandem se transferri curavit, tertiaque die periit.

Calculus phosphaticus cystotomia laterali excisus, infausto eventu.

Periit quoque unus ex quinque ægris quibus calculus excisus est. — Is decennis erat, gracilis, et septem ab annis calculo vesicæ laborabat. Plaga laterali sectus, sexta die mortuus est, suborta inflammatione purulenta textus cellulosi, vesicam pelvi adnectentis. Calculus erat phosphaticus, et vix forcipibus apprehensus, dissiluit. — In cadavere, vesicam contractam atque incrasatam; peritoneum nigrescentis coloris et vesicæ intime adhærescens; cellulosum textum circa vesicæ collum et a lateribus pelveos purulentum; renem dextrum atrophicum, sinistrum vero fere naturalem, reperimus: in pelvi atque calycibus hujus renis permulti, perfecte rotundi, caput minoris aciculæ vix magnitudine æquant, lapilli urici hærebant.

Fauste vero successerunt ceteræ quatuor cystotomiæ, quas omnes sectione laterali et vulgari scalpello peregitimus: in harum una, rarissimo nisi fallor exemplo, quod saltem semel tantum mihi alias contigit, vulnus protinus concrevit prima die curationis, ita quidem, ut,

inde a prima curationis die lotium totum per urethram, omnino nullum per vulnus descenderet. Horum vero casuum contracta historia hæc fere est.

Calculus oxalicus sectione laterali sub accessu dolorum excisus, fausto eventu.

Puer undecim natus annos, inde ab infantia calculo vesicæ laborabat, eumque vesicæ difficultates quodammodo per accessus occupare, interjectis longis intervallis, consueverant. Is, primo mense quem in schola transegit, molestiam nullam passus est, tanquam sanus se habebat, lotium naturale et naturaliter reddebat; quapropter, in tanta symptomatum quiete, subeundæ cystotomiæ vix unquam se docilem præbuit. Exeunte vero mense, repente, calculus collo vesicæ inhaesit, vesica circa illum se contraxit, lotium diu noctuque disperdebat æger, et miserandum exhibebat cruciatuum et inefabilem tormentorum spectaculum: aulam gemitibus implebat, loco stare nescius indesinenter jactabatur, ex lectulo in adpositum labrum descendebat, ex labro mox lectulum conscendebat iterum, altera manu colem convellebat, altera digitos in anum immittebat, prae dolore, pene in desperationem actus videbatur. Una et altera jam die tam misere transactis, quum, et balnea, et cataplasmata, et clysmata, et omnia quae fiebant nil proficerent, demisso cathetere calculum retro in vesicam temperate compellere satagemus: id vero vix successit, vesica arcte calculum

amplexa; quamobrem, in ipso accessu dolorum calculum excidere statuimus. Itinerario per urethram infra calculum, qui vesicae aditum praecludebat, caute demisso, et caute, in tanta vesicae contractione, incisa prostata, calculum removimus subnigrum, totum asperum, oxalicum, fere rotundum, non exiguum, qui scilicet diametro pollicem nonnihil superabat.—Sanatio obtinuit rectissime citra remediorum usum, adhibitis tantum munditie, diaeta, et balneis. Lotium per urethram descendere primum coepit die duodecima, discessitque puer prorsus sanus die trigesima.—Primis diebus adfuit suspicio laesi sub operatione intestini recti: aliquid enim sanguinis ex ano post operationem stillavit, et lotium per vulnus descendens colore fœcum tinctum, primis quatuor diebus, visum est. Tota tamen sanatione naturae commissa, nil mali neque in ano neque in vulnere contigit, et vulnus concrevit celeriter, nullo interveniente symptomate, quod sanationem vel parum interceperit. — An revera rectum intestinum laesum fuerit, nescio, nolui enim inutili exploratione aegrum vexare, omniaque perinde feci ac si intestinum laesum non fuisset, nil scilicet feci.—Erat urbis Kursk.

*Cystotomia in puero sectione laterali extemplo facta,
prospero eventu.*

Exeunte Majo, puerum quatuor supra decem annos natum, qui ab infantia calculo laborabat, ex provincia

Ekatherinoslavensi ad nos transferebant. Eum protinus exploratum, detecto calculo, protinus quoque, nulla omnino praeparatione praevia, (ajebat enim mane alvum deposuisse), suis adhuc vestibibus imbutus, sectione laterali, vulgari cultro secuimus, nulloque labore calculum extraximus formæ ovatæ, uricum, grandem, sex drachmas ponderis superantem.—Aeger tam bene vulnus sustinuit, ut, nullo omnino suborto vel parum conspicuo symptomate, vigesimam post diem, vulnere prorsus conglutinato, omnino restitutus dimitti potuerit.—Ex hocce puero rescivimus, se, a prima infantia calculo laborasse; vesicæ dolores subinde ad plures hebdomades non sensisse; nullum plerumque ad faciliorem mictum solitum fuisse inde ab annis pluribus ivenire corporis situm, quam inverso prorsus corpore, capite scilicet deorsum, pedibus superne per aëra agitatis.

Calculus uricus reniformis sectione laterali extemplo excisus, fausto eventu.

Villicus annos viginti quinque natus, habitus boni, inde a decimo quarto ætatis anno calculum in vesica urinaria gerebat: calculus, præter communia hujus ægritudinis signa, jam aliquoties urinæ iter adeo præcluserat, ut vitam vix non amisisset æger: narrabat enim, jam semel et iterum præpedito prorsus urinæ fluxu ei abdomen totum et testes quoque intumuisse adeo, ut, se movendi impar, lectulo prostratus, imminentem mor-

tem jam jam vidisset: sub illa positione tamen mutato, ut aiebat, calculi situ, lotium tandem iterum profluxisse, eoque, a præsentissimo vitæ discrimine sospitem evasisse. Narrabat, ante quinque menses quoque in tali discrimine conjectum fuisse; tum vero, scrotum dextrorsum ingenti tumore distentum abscessisse, multam vim puris evomuisse, rursusque ita morti ereptum fuisse. Et revera, in scroto antrorsum et deorsum a dextro latere papilla quædam, tanquam nodus, aderat, vestigium inductæ rupto pridem scroto cicatrici. Aliæ, præter hanc, tam in scroto quam in aliis verendorum vel perinæi et pubis partibus mutationes non dabantur, et ex laudabili ægri habitu, tam gravia mala virum sustinuisse, vix suspicari potuisset.

Explorandæ vesicæ ægri vix ad nos advecti, loco catheteris, crassum itinerarium adhibuimus, quo, hærentem in vesicæ ostio magnum calculum invenimus. — Protinus, eodem ipso itinerario duce, (quum æger annuisset,) perinaeum et prostatam scalpro vulgari, de more, incidimus, et calculum evocavimus reniformem, subovatum, in longitudinem *duos*, in latitudinem *ultra pollicem* æquantem, uricum, ponderis *uncia unius cum drachmis tribus*. — Aeger post chirurgiam nunquam febricitavit, nunquam pulsum ultra octogies micantem habuit. Nullo jam lotio ex vulnere fere prorsus conglutinato effluente, lectum relinquit vigesima, abiit vero die vigesima quinta. — Erat territorii Kursk.

Calculus uricus sectione laterali extemplo excisus, vulnere per inflammationem adhaesivam sanato.

Vix quartus praeterierat dies, ex quo supra memoratam cystotomiam peregeramus, quod ex eadem regione (Kursk) alter villicus, annum decimum septimum agens, vegetus et carnosus, calculo vesicae item laborans, accessit. Eum quoque, uno eodemque tempore exploravimus et *extemplo* incidimus: calculus erat parvus, vix amygdalam aequabat, ideoque eum in vesica forcipe invenire et arripere, quidquam difficilius fuit.—Aegro post operationem nil omnino lotii unquam ex vulnere, sed totum per urethram descendit, et jam primis diebus vulnus internum prorsus concrevit. Lectum relinquit aeger die septima; discessit vero, conglutinata quoque externa summa vulneris ora, die duodecima.—Apud hunc juvenem febris a vulnere mota, quidquam vehementior visa est, quamobrem vespere secundae diei ei vena secta est, neque aliud auxilium adhibere opus fuit.

Fuit tertius casus cystotomiae felicissimo eventu *extemplo* factae, casus profecto rarus et dignus qui memoretur, raro enim admodum contingit, ut vulnus post cystotomiam protinus mutua conglutinatione, nullo pure, confervescat¹: id vero jam semel nobis in schola contigit anno 1841.

¹ Observations on the advantage of healing by the first intention the wound in the lateral operation for lithotomy. By *John Crichton*. Edinbourg Medical and surgical journal. July 1837.

URÉTHRITIDES.

Urethritidis casus quinque, omnes infectione provocatos et recentes, habuimus: remedio fuerunt: oleum aethereum balsami copaivae, vel oleum piperis cubebae, vel hujus pulvis recens, vel denique nitrum. Remedia autem illa balsamica, multo efficaciora in acutissima quam in chronica urethritide fere semper se nobis praebuerunt: sub eorum usu scilicet, in morbo recenti, prima jam die ut plurimum dolores mitescebant, phlogosis violentia remittebat, mucii puriformis proventus longe parcius fiebat.—Oleum aethereum balsami copaivae, loco balsami, jam dudum propterea adhibemus, quod, minori mole, totam in se balsami efficaciam comprehendit, et quum resina careat, stomachum valde minus offendit.—An oleum aethereum piperis cubebae ejusdem sit virtutis ac pulvis recens nondum ausim dicere; casum enim nuper habui, qui oleo non cessit, pulveri vero cessit. Ceterum, sub usu horum remediorum, nunquam vel parum incitatum cordis motum deprehendimus, nunquam irritatae gastro-entericae membranae mucosae signa animadvertimus; diarrhoeam tantum, sed sine dolore, a paulo majore remedii dosi motam vidimus, omnia vero inflammationis urethralis signa plerumque conspicue et prompte fracta, subinde prorsus sublata:—quamobrem, in classem remediorum quae irritant, quae stimulum vitae addunt, re-

media istiusmodi collocari vix posse videntur. Quod vero remedia istiusmodi ad urethritidem tollendam propterea possint, quod in tubo gastro-enterico irritationem provocent, sicuti multi adhuc sibi persuadent, id profecto adeo nobis semper rationi alienum visum est, ut mirari subeat, theorias hujusmodi nondum esse ex medicorum mentibus divulsas: quisque enim intelligit, in quaque corporis affectione, tubi gastro-enterici irritationem quam cautissime esse vitandam, quae, ubi forte superveniat, complicationem, ut ajunt, sisteret pessimam, novum, forte pejorem morbum, morbo addens.

Urethritis nitro curata.

Nitri in curanda urethritide acuta efficacitatem ostendebant praecipue *Quarinus* ¹, aequae ac alii celebres in arte viri.—Nitro urethritidem acutam curavimus in juvene annos 25 nato, qui sexta die post morbi invasionem accessit: huic semiunciam nitri multa ex aqua per nychthemera consumendam exhibuimus, et jam prima dosi consumpta, omnia morbi symptomata evidenter recesserant: post quintam dosim, aeger restitutus est.—Sub usu nitri autem, diligenter observandi sunt

¹ «Gonorrhoeam admodum dolentem sanavi decocto althaeae cum nitro, tanta copia exhibito, ut intra 24 horas decocti libras octo cum nitri semiuncia hauriret aeger, brevique convalesceret». Animadversiones Practicae Auctore I. de *Quarin*. Viennae 1814 T. II. p: 314.

aegri, qui scilicet, ubi vel paulo major pro eorum tolerantia adhibita fuerit remedii dosis, vel paulo protractior ejus usus fuerit, in tantam delabi hypostheniam utique possunt, ut illis festinanter sit subveniendum excitantibus auxiliis, vino cumprimis, et alcoholicis. Signa jam excedentis actionis remedii, sunt: facies collapsa et pallida, totius corporis languor, sudor, pulsus debiles et subterfugientes, quandoque lenti.

Urethritis gravis cum paraphimosi, oleo aethereo cubearum curata.

Ceteris gravior fuit casus urethritidis acutae cum paraphimosi in homine fere tricenario, qui prius nunquam illam labem contraxisse asserebat: is retulit, se protinus, jam *altera* scilicet die quo scortatus esset, vehementi urethritide correptum fuisse, eaque jam a *septem diebus* gravissime conflictari. — Coles œdemate acuto tumebat, retractum praeputium glandem stringebat, stricturae locus jam alte erat exesus, mucosa retracti praeputii transversim quodammodo rupta, indeque nudata fascia fibrosa quae cavernosa corpora cingit: glans sursum spectabat, inferior colis facies convexam, superior quodammodo sygmoideam figuram referebant. — Postremam noctem propter dolorum vehementiam acerbissime tulit aeger, uberrimus ex urethra mucii puriformis erat proventus: glans tamen, etsi constricta, nec livescebat nec sub pressione valde pere do-

lebat, neque gangraenae ulla aderat significatio: sed quam maxime cruciabatur aeger, ob dolores tam urethrae inflammatae, quam penis retro glandem constricti et exulcerati.

Altera die, postquam semiunciam *olei aetherei piperis cubebæ* sumsisset aeger, summopere allevatus est, noctem illam omnium primam tranquille peregit, dormivit; coles aliquantum detumuit molliorque evasit. Tum jam, cole retro coronam sinistra manu toto comprehenso, glande vero digitis manus dextrae compressa et audacter retropulsa, glandis taxin non sine quodam labore fecimus. Post reductionem praeputii supra glandem, plaga, quae prius retro coronam in mucosa retracti praeputii haerebat, nunc, praeputium productum sequens, infra praeputii hiatus delitescibat, et timenda ex phimosis paraphimosis fuisset, nisi assiduis, quae ulcus ab effluente ex urethra pure obstergerent, uti peniluviiis aeger jussus esset, et per noctem gossypium inter glandem et praeputium diligenter interpositum fuisset. *Sexta* die, quum dolores in urethra, etsi oleum aethereum aeger sumeret, recrudescerent, hirudines, tam in perinaeo quam secundum urethrae longitudinem affiximus, multumque levaminis ab illis sequutum est. *Octava*, oleum piperis amplius non est exhibitum, diarrhoea enim, quae oleum secum trahebat, supervenit. Diarrhoea absque torminibus fuit, lingua erat naturalis, nihil ventriculi irritationem significabat. Ab *octava* ad *duodecimam* diem decocto mucoso

tantum et peniluvii aeger utebatur: tumor præputii, etsi lente, recedebat, sed urinae semper cum foco reddebantur, mucii puriformis gutta spissa identidem urethrae ostio inhaerebat: quapropter, ad vigesimam usque diem denuo piperis oleum aethereum ad binas in nychthemero drachmas exhibuimus. Quarta hebdomade exeunte, præputii rhagades, quæ nunquam syphiliticam notam prae se tulerunt, cicatricem prorsus contraxerant, dolore quoque et morbosa urethrae secretionem prorsus extinctis.

ORCHITIDES.

Orchitides quinque, easque omnes ab urethritide ortas, curavimus. In orchitide recenti plerumque venam secuimus, auxilium scilicet, quod celeriore curationem reddit: reliqua auxilia fuerunt: punctio *tunicæ vaginalis*, cubatio assidua, cataplasmata emollientia, hirudines, nitrum, pulvis cubebae, quod remedium sicut urethrae, ita ipsius quoque testis inflammationem solvere visum est. Testis compressio, (Fricke) quam aliquoties experiebamur, minus nobis successit, valdeque aegris incommoda semper evasit. — Etsi extra abdomen post natum hominem testes reperiantur, quum tamen ad organa abdominalia pertineant atque iisdem ac cetera abdominis viscera instruantur tunicis, mirari haud subit, si quæ forte ab inflammatione testium sym-

ptamata moveantur valde illis similia, quæ in phlogosî abdominalium viscerum moveri solent, vomitus nempe, singultus, omnino peculiaris faciei habitus, dolorque per totum abdomen diffusus. Hujusmodi orchitidis casum habuimus, qui, tum propterea memorandus est, quod abdominalia symptomata quam maxime terrere visa fuerint, tum propterea, quod mirum in modum, ad tollendam symptomatum vehementiam, tunicæ vaginalis punctio profecerit.

Symptomata orchitidis gravissima, puncta vaginali, momento citius dissipata.

Famulus boni habitus, annos undeviginti natus, decima quarta die ex quo rem cum femina habuerat, urethritide correptus est, quæ post hebdomadem, sinistri testis vehementem inflammationem concitavit, et hominem ad scholam adegit: tunc, nihil mucii ex urethra, sed urinæ cum foco reddebantur, testis triplo major erat, succensa quoque, tensa, et rubra scroti cute. Aegro mane venam secuimus, vespere circa radicem scroti hirudines viginti admovimus: (*cataplasma, suspensorium*). Postera die aliquantum detumuerat et minus quoque dolebat testis, ex urethra denuo aliquid puris secerni cœperat. Subsequente vero nocte, vehementissime exasperata est testis inflammatio, dolores ex teste per funiculum spermaticum ad lumbos et in totum inde abdomen saevissimi sese diffuderunt: mane ægrum

adeuntes, fere terrificus erat ejus aspectus, faciem referebat cum virore pallidam et collapsam, tempora circumtensa, abactos oculos languentesque, tamquam illis, quibus incarcerata et gangrænæ proxima sunt intestina: tacitus, supinus, prorsus immobilis, tegminibus rejectis, contensis artubus jacebat, perinde ac si sub motu vel levi, et vel levi loquendi nisu dolores, qui toto abdomini inhærebant, vehementissime exasperarentur. Nausea quoque vexabatur, bisque vomuit.—Malum, a nimia vaginalis testis distensione pendere suspicati, sine cunctatione, in anteriore scroti facie plagulam, quæ usque ad albugineam descenderat, lanceola incidimus: ex cute sanguis, ex cavo vaginalis guttæ tantum duæ tresve laticis serosi, qui cum sanguine protinus se confusit, exstillarunt. — Vix præterlapsis a punctione momentis aliquot, ex tetrica et ominosa sincerior et hilarior facta est facies, mox dolores valdopere mitescerunt, et post horæ quadrantem fere magno ex periculo emersus æger prope omnium dolorum expers evasit:—nullus ex adstantibus fuit, qui tam manifestam tamque repentinam a levidense illo vulnuscule inductam mutationem, valdopere non esset miratus¹. — Post hanc diem testis

¹ Casus luculentissime comprobavit sententiam celeberrimi *Velpeau*. «A l'égard de cette maladie l'expérience vous a confirmé que le meilleur traitement consiste dans la ponction de la tumeur avec la pointe «d'une lancette, et que 5 à 10 jours suffisent ordinairement pour guérir les malades.....Le soulagement que procure cette petite opération «est immédiat. *Leçons orales*. Bruxelles, 1841, p: 682.

tumor sensim sensimque quotidie magis subsedit, dimissusque est æger restitutus, die duodevigesima.

Orchitis ob perversam curationem chronica.

Vir nobilis, annos nondum triginta natus, habitus lymphatici, olim ophthalmiis scrofulosis atque otorrhœis obnoxius, vigesimo tertio ætatis anno contractam urethritidem ad sex fere menses traxerat, et motam inde dextri testis inflammationem legitime in nosocomio curaverat. Biennio post, ex prava victus vitæque ratione et scorti frequentatione, testem dextrum quidquam dolere et aliquantum durescere æger animadvertit, et universi quoque corporis cutis exanthemate fœdata est.— Aegrum medici hydragyro et sarsaparilla curarunt, et, exanthemate jam dissipato, ad soterias Caucasii aquas, ad confirmandam curationem miserunt. Sed in itinere, testis tumor, qui non recesserat, ruptus est, pus multum effudit, neque amplius unquam perducitur ad cicatricem potuit, caruncula enim rupto loco succrevit, cutis testi adhæsit, et puris ultra drachmam quotidie reddere fistulosum ulcus perrexit. Subsequentibus quatuor annis optima valetudine usus est æger, præter illam testis affectionem, ex qua, quum nullum sentiret dolorem, curari neglexit. Anno vero abhinc, exulceratus testis forte vexatus, novam eamque vehementem inflammationem concepit: hanc æger, præpedito libero materie excoarctato ulcere fistuloso effluxui tribuit, ideoque, si-

mul ac pacatus phlogoseos impetus fuerat, funiculum pollice longum, contortum, durum, tamquam ellychnium, quam potuit altius in testis ulcus immisit, ne pus denuo eo in sinu moraretur. — Tracto ita fere anno, quum major testis moles atque durities perstarent, et abundissime ex sinu materies effluere pergeret, canceri suspicionem æger concepit, et animo jam dejectissimo, ex Caucasi provincias quas habitabat in scholam venit, ut degenerati, ut aiebat, testis extirpationem subiret.

Nil vero canceratici testi suberat, majorque ejus moles, et puris quoque abundus proventus, prorsus pendere videbantur ex funiculo illo, profecto calamum scriptorium crasso, et artificiose contorto, quem, in medium testem, imo per testem fere ab altero ad alterum latus, aeger trans mittebat. — Aegrum igitur, citra pharmacorum usum restituere statuimus, sublato tantum fune illo, qui, spinae adinstar, totum malum sustinebat. Rejecto fune, pus in fistuloso testis itinere haerens diligenter quotidie exprimere, cubare, parciori victu uti, aegro suasimus. Post *vigesimam* diem, testis moles jam dimidio minor erat, longe parcior puris proventus, angustius breviusque erat sinuosi ulceris iter, animus aegri erectior. *Quadragesima* die ulcus erat impletum, testis moles parum tantum naturali major, textura vero mollior remansit. Absoluta ita sine remediis curatione, aegro auctores tamen fuimus, ut domi kali hydrojodico (gr. X in die) uteretur, ut,

si quæ forte a contractis pridem gonorrhœis universa labes superesset, hæc prorsus exterminaretur.

Orchitis chronica utriusque testis ab urethritide.

Adolescens urbicus et litteratus, propter tumorem utriusque testis in scholam clinicam ab ingenuis parentibus adductus nobis narravit, se paucos ante dies scrotum ad lectuli crepidinem incaute vexasse, atque ita in calamitatem illam, propter quam artis auxilium quaerebat, infauste incidisse. — Insolita morbi causa, in suspicionem mendacii nos induxit; inspecto igitur urethrae ostio, gonorrhœici aliquid ex illo gemere vidimus: revelata ita genuina orchitidis natura, jam victas dare manus, obtestasque revelare libidines aeger debuit. Is 10^a Januarii scortatus est; 14^a urethritidis prima signa sensit; 21^a, perstante urethrae fluxu testis dexter cum miti dolore intumuit, crescente in dies tumore; 10^a Februarii eodem quoque modo intumuit testis sinister: 25^a Februarii in schola admissus, urethra parum tenuioris mucii reddebat, lotium fere sine dolore et uredine descendebat, sed insigniter tumebat testis uterque, semipugni fere molem referebat, tumore haud duro, parum dolente, fere sine rubore cutis, et sine conspicua inflammationis nota. — Juvenem curavimus cubatione, cataplasmatibus, et alterno usu calomelani et sulphatis sodae: quavis vespere scilicet, data ei sunt grana duo submuriatis hydrargyri, et quovis

mane uncia una sodae sulphuricae. Tumor decrevit celerrime, et prorsus recessit sumptis tantum quatuor dosibus calomelis et sex unciis sulphatis sodae. Decima die, suspensorio munitus, flaccidioribus aliquantum testibus, scholam reliquit.

HYDROCELES.

Hydroceles quinque adfuerant, quarum unam, sectione, ceteras vero acupunctura curavimus, curatio scilicet, quam experiri plerumque solumus priusquam ad quamdam aliam vehementiorem curationem accedamus. Notatu profecto digna sunt phaenomena illa, quæ ab acupunctura, in tumore vaginalis contingunt. Punctionibus aliquot per cataractariam acum in tumore factis, (fiunt autem fere sine dolore) altera die tumor occulta quodammodo laticis disparitione subsidit, subsequenter vero evanescit. Integumenta scilicet scroti, subinde ipsius quoque penis, jam prima die, ob effusum in subcutanea scroti tela laticem vaginalis, in tumorem œdematosum attollitur; eodem vero tempore tumor flaccidior evadit, donec die tertia quortave, plus minus, nec hydrocelis nec œdematis vestigia supersint. Hujusmodi curatio tamen, ad tempus dumtaxat proficere, rarissime malum prorsus auferre videtur. Apud infantulos reiterata ter quaterve acupunctura, et adhibitis fomentis ex solutione kali

hydrojodici, vel adhibito unguento jodio potente, sublato aliquoties radicitus malum vidi multo celerius, quam alias fieri consueverat.

Hydroceles testis sinistri herniam incarceratam simulans, sectione curata.

Memorabilis est hydroceles quæ incarceratam herniam simulavit, et extra cujus tunicam vaginalem concreta gelatinosa glomera haerebant. — *Auriga* quinquagesimum annum agens, habitus firmi, jam dudum sanus, qui tamen olim in juventute ex febre intermittente hydropicum fuisse ajebat, tribus circiter abhinc mensibus (Julio 1845), indocilis equi pedem tam magno nixu attollere annisus est, ut mox vertiginem et in abdomine dolorem persenserit; eam diem tamen noctemque sat commode transegit: *postera* vero die ad meridiem, dolor acutus totum abdomen occupavit, scrotum sinistrum cum dolore intumuit, intumuit quoque inguen ejusdem lateris. *Tertia* die enterodynia perstabat, scroti moles incresebat, ad annulum inguinalem usque tumor pertingebat. Subsequentibus diebus dolores prorsus conquieverunt, abdominis munera adamussim procedebant, scroti vero tumor nunquam recessit, eoque perstante, *auriga* citra incommodum labores suos solito more et consueta alacritate per tres menses sustinebat: contigerat tamen per hoc temporis intervalum subinde, ut, fere per accessus, abdominis dolores

moverentur graves, et ex abdomine funiculum spermaticum pervadentes; iis tamen, sicco et calido fotu ex cinere efficaciter æger obvenire consueverat. — Ast 3-tia Novembris, intensis ad pondus sublevandum viribus, repente dolor acerbus abdomen scrotumque invasit, gementem præ dolore virum lectulo prostravit, nausea prius, dein frequens quoque vomitus concitatus est, atque ita misere eam diem homo transegit; ad noctem vero, quum omnia ingravescerent, ad subeundam herniotomiam festinanter in Scholam translatus est, ubi mox vomuit iterum.

Tumor binos fere pugnos mole æquans, protinus in hiatus inguinali externo, imo aliquantum superius in ipso canale abruptum fere initium habebat, et deorsum ad imum usque scrotum vaste latescendo descendebat. Superior tumoris pars inguini insidens, a reliqua tumoris parte ad scrotum pertinente, quadam impressione disternari quodammodo videbatur: tumor totus valde erat renitens, et etiamsi elasticitate præditus esset, adstrictus erat adeo, ut vix comprimi posset. Cutis scroti admodum tensa, naturaliter tamen se habebat, non rubebat, sed tumor valdopere dolebat, dolebat quoque admodum abdomen totum.


Etiamsi malum a nixu promotum fuisset, etiamsi æger vomuisset neque deorsum dejecisset, tumoris tamen figura, et abruptum præcipue ejus initium circa canalis inguinalis finem, reliquo canali vacuo, tantum aquosam (ut ajunt) herniam subesse indigitabant: alioquin,

tumor, a tribus mensibus tantum natus, ingentis erat molis, nunquam mutabatur, neque compelli in abdomen prius ab aegro unquam poterat; tandem admota flamma humor congestus, *tamquam in vitro cornuæ per scrotum apparebat.*

Pertusus sine cunctatione, acuto cultello tumor, laticis serosi undam impetu emisit, nullatenus vero subsedit, tantum aliquantum flaccuit, perinde ac si fere totum eum, submolle aliquid impleret; quamobrem per vulnus; supra sulcum specilli demisso retuso cultro, tumorem in longitudinem large patefecimus, externamque tum vaginalis tunicae faciem glomeribus tremulis, quodammodo gelatinosis, subflavis, ei adhaerentibus vestitam vidimus; interna vero vaginalis intercapedo sana, sanum testem amplectebatur. — Gelatinosum illud, tremulum, subflavum gluten forficibus excidimus, vaginalem quodammodo totondimus; tum vulneris oras suturis curiose commisimus, scrotum suspensorio imposuimus, operamque dedimus, ut non nimia in vulnerata parte phlogosis moveretur.

Primo *triduo* commode habuit aeger, fere nullus in scroto, nullus in abdomine dolor aderat: *quarta*, nocte inhorruit, postmodum incaluit cum cephalalgia et aestu, pars tamen vulnerata, primum hodie detecta, nec dolebat neque conspicue tumebat. — (VS HJ , *Sulphas sodæ, frigida capiti admota*). *Quinta*, febris et cephalaca remiserunt; suturis receptis, vulnus prorsus coalitum erat, et vix amurcae guttam unam alte-

ramve vulnus reddebat, sed scrotum et testis dolebant et tumebant. — *Decima*, testis moles conspicue decreverat, nullum fere pus ex infima vulneris ora effluebat. *Decima quinta*, incommoda nulla, testis moles assidue minor, nullus fere dolor. *Vigesima* dimissus est æger, teste prorsus indolente et molis quoque naturalis, aliquanto plenius tantum erat scrotum affecti lateris, media cicatrice notatum.



STRICTURÆ URETHRÆ.

Urethrae stricturas omnes quas habuimus (decem autem fuerunt,) temperata, ut ajunt, per fistulas flexiles dilata-tione curavimus. Id auxilii genus, quam simplex tam efficax, et hocce anno quoque, sicuti anteactis omnibus, nunquam non successit: cum celeberrimis igitur in arte viris (*Dupuytren, Syme, Liston, Brodie*) opinamur, superflua, nisi forte damnosa esse cetera illa artificia, quæ, vel adurendo, vel secando, stricturas aggrediuntur; artificia, circa quae tamen medentium industria, postre-mis potissimum annis, mirum quantum insudavit.

In quovis casu (duobus exceptis) strictura, circa ure-thrae bulbum haerebat, et tantae erat angustiae, ut om-nium tenuissima transmitti protinus fistula non potue-rit: ita, in quovis fere casu data nobis est occasio admirandi efficaciam methodi illius a Dupuytrenio pro-

positae, juxta quam, fistula ad stricturam usque immissa, contra eam, per horam unam alteramve tenetur, posteaque nullo fere labore jam ultra strictum locum transmitti potest. — Adhibere autem suevimus fistulas anglicanas tenuiores (*N^o 1*) quae scilicet, etsi satis tenues, aliquam tamen tuentur rigiditatem, sic, ut impellenti manui quidquam renitantur, non vero statim inflectantur, sicuti contingere solet, ubi fistulae *parisientes* sine stylo ferreo adhibeantur. — Immissam jam semel fistulam *non nisi tertia vel quarta die ex urethra extraximus*; neque ab hacce nonnullorum dierum repentinae fistulae mora in urethra malum aliquod sequi vidimus. — Circa hanc rem autem, maximi equidem momenti mihi semper visae sunt observationes celeberrimi *Brodie*¹, quo auctore, querquera febris, quae tam frequenter tamque graviter ab immissa fistula in urethram hominum strictura laborantium excitatur, *tum utique praecavetur*, cum fistula jam immissa *non protinus recipitur*, sed *per aliquot dies in urethra relinquitur*; quasi febris repetenda sit ab actione *lotii transeuntis supra stricturam quæ primam instrumenti dilatantis actionem experta est*, quæ actio praepeditur morante per aliquot dies fistula, et per eam tantum lotio descendente. Hujusmodi observationes, in Schola reiterare hocce anno quoque voluimus, easque perfecte confirmatas vidimus: in quovis

¹ Lectures on the diseases of the urinary organs. London. 1842 p. 58.

enim casu, in quo, fistulam semel immissam, per aliquot dies in urethra reliquimus, nullus horror, subinde aliquis calor tantum sequutus est; febris vero cum intenso horrore fere in omnibus illis casibus mota est, in quibus fistula, vel statim ac immissa fuerat, vel post aliquot horas recepta est, et absque illa aegri lotium emiserant. In omnibus fere his casibus, horror febrilis modo post horae quadrantem, modo post semihoram a lotii emissionem, motus est, nunquam vero antequam lotium (post receptam fistulam,) fuerit emissum.

Stricture urethrae prope exitum insolitis symptomatibus comitata.

Circumventus tam insolentibus quam gravibus quoque malis aeger fuit, cui antiquam, in ipsa fere extrema urethra haerentem stricturam, per dilatationem curare studuimus. Hic, quoties fistulam eduxit et minxit, vehementissima febris cum algore occupatus est, et sub ea semel, acerbi in utraque sura dolores apparuerunt, qui nullis auscultarunt auxiliis, aegrum per duos fere menses lectulo affixum tenuerunt, vehementerque divexarunt.

Casus sic fere est: *Miles nobilis*, modo trigesimum tertium annum numerans, vix decimum sextum annum emensus fuerat, quum primam urethritidem contraxisset: id autem acciderat paucos ante dies, quam iter suis

cum parentibus Petropolin suscepisset, ut in suprema militari schola acciperetur. Timore et verecundia, morbum diligentissime tam parentibus quam prae-
fectis adolescens celavit, exercitationibus militari-
bus interfuit, dolores cruciatusque dissimulavit, nul-
lam medicinam sibi fecit, urethritidem quam diutis-
sime traxit, et per omne tempus quo in schola militari
commoratus est, nunquam libere et sine quodam nisu
et dolore minxit; solebantque urinae difficultates su-
binde mitescere, dein repente exasperari, quin unquam
puriformis mucii quidquam ex urethra effluere cessa-
verit. — Decem post contractam et neglectam urethri-
tidem annis, in perinaeo abscissio facta est, pus multum
dimanavit, celeriterque consanuit locus ille ruptus,
quin inde, aegro ajente, fistula remanserit. Duobus
vero abhinc annis, quum scilicet aeger trigesimum
primum aetatis attingeret, lotio semper cum nisu,
uredine, et, vel filatim vel guttatim fluente, spasmi
vehemenssimi urethram occuparunt, et per tres hebdo-
madas aegrum lectulo coëgerunt: spasmodici accessus
saepius iu dieprehendebant, et sub illis, ajente aegro,
tota urethra stringebatur, penis pallescebat et quodam-
modo extenuabatur. Balneis, ptisanis, et aqua lauro-
cerasi, ex illis angustiis tandem ereptus est, et ab illo
tempore, non amplius ex urethra humor ille manavit,
quo prius semper madebat, sed perseverarunt pristinae
et aegro fere jam consuetae urinae difficultates, quibus
conflictatus miseris hucusque traxerat dies. — Suble-

vandis malis, jam dudum, multi et multis in urbibus peritissimi in arte viri catheteris in urethram immissionem erant adgressi, ut angustatum urethrae locum diffunderent, et lotio liberum exitum pararent. Sed catheteris immissio ne semel quidem successit: quapropter, malo quotannis ingravescente, suadentibus medicis iter ad scholam aeger fecit, in qua susceptus est 8^a Novembris 1845.

Naturale et amplum erat extremum urethrae ostium, fistula vero, pertentando canali tenuissima protinus in media glande ante ipsam navicularem fossam substitit: ultra eum locum vel ipsemet aeger, vel alter quivis, ut asserebat, fistulam compellere nunquam potuerat. Illam viam igitur specillo argenteo tenuissimo tentavimus, eoque utique introitus successit. Sed alia tribus circiter ultra navicularem fossam transversis digitis angustia specillo se opposuit; et eam quoque, patientia et aliquo labore, specillo transgredi potuimus. Supra specillum igitur jam immissum, aliud pleniuseculum sulcatum altius in urethram demisimus, et supra hujus sulcum tenuissimam fistulam (N^o 1.) ad vesicam usque compulimus. Eam non nisi post plures dies recipere statueramus, ne scilicet febris querquera ægrum invaderet.

Nihilominus tamen vix tribus elapsis horis fistulam indocilis aeger exemit, et inefabili gaudio multo liberius et sine nisu, nunc primum post tot annos, lotium effluere pleniori filo vidit. Ast, vix praeterlapsa a mictu semihora, intensissimus horror aegrum occupavit, et per horam tenuit; horrorem aestus et sudor exce-

perunt, superveniente incredibili lassitudine. *Sexta die*, febre non reversa, viribusque ab aegro jam recollectis, eamdem fistulam in vesicam usque, multo quidem facilius sed non sine quodam labore demisimus, eamque *biduō* in vesicam, nulla molestia, reliquimus: ea recepta, jam urinae non mediocri libertate efferebantur, et nil mali aeger tam ea die quam duobus subsequentibus expertus est.

Die 10^a eadem fistula denuo immissa est, eamque aeger tres post horas, *violata iterum præscriptione*, recepit, agebat enim, ab angusto fistulae itinere lotium intercipi, et liberius sine fistula effluere. — En vero, vix post *dimidiam a mictu horam* intensissimus, et duas integras horas protractus horror cum vomitu, postmodum æstus et sudor, et virium prostratio prope incredibilis, quæ plures per dies ægrum cibos averstantem, fractum, præ lassitudine cubantem, mæstum, languidum, pallidum, morosum reliquit. — Porrecto chinino, et post hebdomadam aegro jam rastaurato, die *17^a* catheter elasticus (*N^o 2*) iterum et fere sine labore immissus est: aeger vero, nescio quo fato, tres post horas immissam fistulam iterum exemit, sine cathetere minxit, et *post dimidiam horam*, stata fere lege, algida denuo febris ceteris adhuc intensior suscitata est, sub qua, malum novum, prius ab aegro non expertum in scenam prodiit, acerbissimus scilicet dolor in utraque sura et in utraque quoque planta, cum primis in dextro halluce. Post febrem lassitudo,

calor, inordinati et frequentes pulsus, inapetentia, animi dejectio, oculorum languor cum facie pallida et tetra, plures in dies perstarunt.

Jam vero, ex urethra amplius non querebatur æger, lotio scilicet sine nisu et sine dolore effluente: sed dolor in suris et plantis tertia sub febre natus, duos per menses assidue occupavit, et ægro incredibiles molestias facessivit. Nam, neque incedere aeger prae dolore poterat, et si quas forte interponere inducias dolor visus esset, mox violentius recrudescebat: modo ex dolore torpor, modo veluti nervorum distensio crura invadebat, erantque molestiae illae ejusmodi, ut vix illas definire aeger unquam potuerit. Nulla in locis dolore lacessitis mutatio apparebat, nullus rubor tumore aderat, a pressione dolor neque mitescebat, neque exasperabatur.—Sinapismi, vesicatoria, hirudines, laudanum, morphium endermice, veratrinum, chininum, colchicum, ferrum carbonicum, stupa vaporibus gravida, scopula anodyna Hildebrandi ¹, compressio, et alia omnia quae adhibita sunt auxilia nil prorsus proficere visa sunt, morbo sensim sensimque, magis temporis quam remediorum beneficio, recedente.

Ita aeger scholam 76^a die reliquit, cruribus nondum penitus confirmatis, ab urethrae vero molestiis vindicatus. Sed quater tantum, per totum curationis decur-

¹ «Lenimen (a scopula metallica) adeo instantaneum esse solet, ut ægris «verum incantamentum esse videatur». *Hildebrand, Annales Scholæ Clinicæ medicæ Ticinensis. Papiæ. T. 2 p. 234.*

sum fistula immissa fuerat, eamque pleniorē identidem demittere necesse fuisset, ne iterum urinae iter coarctaretur: aeger vero, intermittentem febrem et crurum dolores adeo abhorrebat, ut novam fistulae immissionem declinare, et in longius tempus differre illud sanitatis praesidium voluerit, quum scilicet urinae molestiis profecto serius ocius reversuris, eo ulterius indigere praesidio, foret agiturus.

Analogiam quamdam habere hic casus videtur cum eo de quo *Brodie* loquitur: aeger strictura urethrae, quae immissionem fistulae nunquam permiserat dudum laborabat: experientissimus auctor vero immittere potuit fistulam elasticam, quam, mox post evocatum lotium, recepit. Aliquot horis vix praeterlapsis, intensus horror aegrum invasit cum febre, cui socia facta est *rheumatica affectio musculorum cervicis adeo rebellis*, ut ab illa per totam vitam nunquam se vindicare aeger potuerit ¹.

Angustia extremæ urethrae congenita, sexcentorum malorum causa.

Sexcentorum malorum causa fuit urethrae angustia, quam ingenuus puer, quatuordecim annos natus, inde ab utero matris gerebat. Huic, non naturali in loco sed paulo deorsum prope navicularem fossam urethra desinabat, sine membranaceo et adeo angusto, ut non

¹ L. c. p. 28.

urethrae meatum sed potius punctum aequaret. — Lotium nunquam sine aliquo dolore et nisu exhibat, colis saepe incommoda erectio praeibat, mingendi stimulus saepissime urgebat, quasi vesica nunquam prorsus evacuaretur: abdomen contorqui donec lotium prorumperet, aeger sibi videbatur, circa lumbos et renalem regionem fere assiduus dolor tenebat, assidui item ad inguina et secundum funiculum spermaticum et circa hypochondria quoque, dolores morabantur, atque ab aliquot annis nunquam fere, vel unam diem commode transegerat infelix puer, perpetuis fere exagitatus malis. — Praeter has mox memoratas et fere consuetas aegritudines, subinde extemplo, causa vel levissima quae puerum perturbaret, accedente, insolitae et proteiformes turbae movebantur: ita die illa, qua in scholam adductus fuerat, forte consternatus, nocte appetente, protinus abalienatae esse mentis visus est, semiperfecta loquebatur, tamquam delirus coloratos oculos circumferebat, inepte respondebat, subinde feroci fere delirio abripietur, manus capiti admovebat, incontinenti corporis jactatione urgebatur, immoderate calebat, eique accensam faciem habenti arteriae in collo et ad tempora saliebant, venae praetumidae extabant. — Hae turbae per noctis partem pretrahebantur; mane vero revertebatur quies, prorsus resipuit aeger, functiones omnes compositae sunt. — Hujusmodi accessiones, domi quoque puerum aggredi, quotiescunque vel parum animus ejus conturbaretur, parentes retulerunt. — In tanta

nervorum mobilitate puerum in Schola diu morari nolimus, quippe qui curationem profecto arduam, tædiosam, longissimi temporis et incerti omnino exitus, qualis necessaria fuisset ad difundendum urethrae ostium, vix sustinere potuisset: ei tantum suasimus, ut gerendo quotidie in urethrae ostio stylo ex gentianae radice, se paulatim assuesceret.

Enuresis ab urethræ strictura, cujus prima signa quadraginta fere annis post contractam semel urethritidem apparuerunt.

Octuagenarius primam et unicam anno actatis quadragesimo secundo contraxerat urethritidem, quam utriusque testis inflammatio sequuta est. His malis expulsis, nunquam in mictu vel dolorem vel difficultatem expertus est. Septuagesimum septimum annum agenti, extemplo urinae supprimebantur: tum infusum baccarum juniperi affatim bibit, et lotium altera die rursum emittere potuit; posthac vero, mictus semper difficilior evasit, urinae, tenui, inaequali, et diffuso filo, subinde guttatim tantum, descendebant. — Post annos duos ex quo ita vixerat, lotium perdere aeger coepit, et quum illud continendi magis magisque impar evasisset, in scholam se contulit, 8^a Aprilis.

Prima die curationis, fistula elastica (N^o 1) in stricturam offendit circa urethræ bulbum hærentem, quae nulla industria superari potuit: fistula vero, contra angusta-

tum locum relictâ, reiteratoque post horam tentamine eam compellere ultra stricturam in vesicam usque, facile potuimus. Postera die et tertia aliquantisper febricitavit aeger sine horrore; quarta die, exempta fistula, novam crassiorem immisimus. Subsequentibus diebus, urethra jam ita diffusa ut ipsemet aeger fistulam immittere posset, senex lotium amplius non perdens discessit, data ei fistula, quam singulis hebdomadibus semel in vesicam immitteret, et ad horas duas relinqueret.

Dysuria ab urethræ strictura, neglecto fistularum usu recidiva.

Centurio sani habitus, annum agens quintum supra trigesimum, decem circiter annis abhinc urethridem contraxit, quæ, etsi multimode curata, sex tamen annos virum plus minus vexavit. — Exacto circiter anno, ex quo nullus amplius ex urethra dabatur fluxus, difficulter mejere, lotium subinde magno cum dolore emittere, æger cœpit. Tum vero, (an: 1842) quum nos adiisset, stricturam circa urethræ bulbum hærentem, fistula elastica quodam cum labore ampliavimus, et ægro injunximus, ut eandem sibi in posterum quavis hebdomade semel immitteret. Is, sanus tres ad annos fuit et commode per hoc tempus lotium emisit, tamdiu scilicet, quamdiu præcepto obtemperavit: postremo vero anno, catheterem, tamquam præsidium jam superfluum, negligens, paulatim in pristina relapsus

est vesicæ incommoda. His ingravescentibus, ad catheteris usum iterum confugit, incassum tamen; nam, angustato iterum itinere, ultro compellere, quantum oportuisset, fistulam nequivit. Quamobrem, Charcoviam venit iterum, et scholam adivit 25 Jan: an: 1846. — Lotium cum labore et guttatim descendebat, et aliquid in perinæo obstaculum hæere ipsemet agebat æger; feminis quidem delectabatur, sæpius tamen contingere agebat, ut, ubi coivisset, dubius hæeret utrum genituram emisisset.

Stricturam fistula elastica (N^o 1.) superavimus, neque illam ea et altera die recepimus: ea vero, tertia die exempta, pleno flumine lotium emisit æger, qui, quum ipsemet fistulam jam immittere potuisset, quarta die scholam reliquit cum supellectile fistularum, quibus in posterum nunquam non uti pollicitus est.



PHIMOSIS ET PARAPHIMOSIS.

Phimosi a Cystide præputii.

Phimosi semel tantum et quidem naturæ insolitæ obveniebat in juvene quodam plebejo, qui a prima inde ætate glandem detegere nequibat. Vitii causa erat cystis inter præputii paginas suborta, quæ, rotundæ figuræ, mobilis, in summa præputii ora deorsum pro-

pendebat, et mole sua cerasae baccam superabat. Obstabat hic tumor quominus præputii paginæ explicari possent, ideoque præputium, ubi retro trahebatur, vix extremam tantum glandem nudam relinquebat. — Partem præputii in qua tumor hærebat, digitis apprehendere, nonnihil attrahere, forcibus excidere, res fuit parvi laboris. Præputii ita fere circumcisi vulnus, suturis quinque consutum, celeriter mutua labiorum conglutinatione concrevit, sed ad aliquot dies oedematotum remansit. Exacta hebdomade discessit adolescens, præputio mobili, decenti, et aptae adhuc longitudinis. Kystis, tunica constabat crassiuscula, fibro-cellulosa, et quod ei inerat, glutinosum erat, subflavi coloris.

Paraphimosis.

In paraphimosi tam acuta quam chronica, sed in illa potissimum, cujus exempla per hunc annum sex habuimus, maxime proficui se præbuerunt sacculi aromatici humentes, tumentis membro superdati. Revera suffocatam, vel a strangulatione forte periclitantem glandem, nunquam vidimus: sed in quovis fere, qui obviam venit, casu, stricture locus, in dorso colis exulceratus, fere dissectus erat, interposita ea rima inter duplicem tumorem, alterum deorsum a tumente mucosa præputii, superne alterum a tumente colis cute. In phimosi recenti, taxis semper successit, in vetustiore vero,

solidescence jam œdemate, extenuari tumor, et cuti naturalis mollities restitui debuit, prius quam recondi glans potuerit. Adfuit casus paraphimosi chronicae cum fistulis urethrae, quæ curationem non recepit.

Pueri quinque paraphimosi laborantes.

Protervo puero vix octavum annum agenti, inde a biduo, glans erat nuda, fere suffocata, cole inferne gibbo, superne fere farciminis in transversum bipartiti figuram referente, cute, retro tumentem præputii mucosam, jam transversim rupta. — Huic, qui lasciviendo sibi istiusmodi noxam intulerat, præ dolore clamanti et supplodenti etiam invito taxin fecimus, et adhibitis per dies aliquot aromaticis fomentis œdematosum tumorem discussimus.

Eodem mulctati malo quatuor quoque alii pueruli per hunc annum adducti sunt, qui, quum sibi glandem detexissent, præputium rursus adducere nescii, paraphimosin contraxerant: his omnibus, malum recens taxi abstulimus.

Paraphimosi chronica cum sclerosi textus cellulosi, ulcere transverso, et fistulis urethrae.

Quam gravis tam obscuræ originis fuit paraphimosi cum urethrae fistulis, quæ rusticum mediæ ætatis ab uno jam anno affligebat. Is, quum in Scholam se rece-

pisset colem gerebat monstruosæ molis, cujus scilicet crassities extremum cubitum ipsius ægri fere superabat: tota virgæ cutis mirum in modum erat incrassata et dura: multi subter hærebant abscessus profundi, ex quibus pus bonum movebatur. In dorso penis, qua parte *retracti* præputii *strictura* aderat, altissima latebat fissura, ad cavernosa usque corpora descendens: in superficie colis inferiore, inter glandem et scroti radicem, tres patebant viæ fistulosæ, per quas major lotii copia exibat; dimissus tamen in vesicam plenior catheter, nullam stricturam offendit. Præsto igitur erant in hocce casu, fistulæ urinosæ in cole, et hypertrophia sclerodes textus cellulosi colis, cum paraphimosi irreductibili et exulcerata. — Aeger narravit, nunquam sibi oscænas partes fuisse labefactatas, filios cum uxore procreasse, ante annum autem, abscessum infra penem subortum fuisse, qui sua sponte rumpebatur, paulo post fluente, ex ipsa quoque urethra, amurcosa materia; circa illud tempus vero, rem cum uxore habuisse, malum inde valdopere exasperasse, colem mirum in modum intumuisse, lotium fere totum infra colem exiisse.

Curando homini, perpetuam fistulam per urethram in vesicam demisimus, tumentem colem arcte circumjecta fascia compressimus, intus eccoprotica porreximus, circumcisa ciborum copia, quo facilius induratae partes mollescerent et extenuarentur: vesicatoria item, quae sollicitandæ absorbtioni, induratisque dis-

cutiendis tam proficiunt, identidem superdedimus, colem aromaticis fovimus, balneis quoque subinde adhibitis. Protracta ita duos et ultra menses curatione, valde quidem colis moles decrevit, durities extenuata est; sed fistulae hiantes adhuc, minime concreverant, febricula accessit, mœror aegrum occupavit, et exeunte jam academico anno dimitti aeger in Nosocomium debuit in ancipiti vitae conditione, ibique eum, post nonnullas hebdomadas, periisse, rescivimus.

Fistulae tres in perinaeo, cathetere perpetuo et balneis sanatae.

Aliam quoque fistulae urethralis casum obtulit juvenis jam dudum graviter laborans, ex quo, quae saltém eruere potuimus, haec fere sunt. — Annos duos supra viginti natus, gracilis, quem vix annum decimum sextum emensum fuisse dixeris, quum, decem circiter ab hinc annis in schola esset, mingendi stimulo circumventus, timore magistri, ad horam integram lotium magno incommodo retinuit. — Lectione, quae ei longissima visa est, finita, confestim se ad emittendum lotium in diverticulum subduxit, lotium tamen non protinus, sed quadam interjecta mora, prodiit. Quartam post diem dolorem juxta penis radicem et in urethra sensit aeger, penis cum calore intumuit, et lividum colorem contraxit. — Medicus arcessitus futuram fore verendorum gangraenam praedixit; admotis tamen semel et iterum perinaeo et hypogastrio hirudinibus,

aliisque adhibitis pharmacis, tumor colis se remisit sed paulo post, supra pubem, ubi hirudines admotae fuerant, abscessus duo nascebantur, ex quibus ruptis pus et lotium effluxit, et effluere duos per annos perrexit. — His emensis, novas sibi lotium vias paravit, ruptis tam supra quam infra scrotum, inter scrotum item et femur dextrum sex fistulosis itineribus, ex quibus lotium totum effluebat, relicto prorsus, ad hunc diem usque, naturali itinere. Harum fistularum tres paulatim exaruerunt, remanentibus tribus, ex quibus etiamnum totum lotium descendit. Ex his una, in plica inter radicem scroti et femur dextrum, duo statim retro scrotum in perinaeo reperiuntur. Ceterarum fistularum cicatrices cavæ, altissimæ, retractæ, cutaneis plicis circumdatae, supra pubim et in natibus prope tuberositates ischadicas visuntur. — Ex tribus nunc patentibus fistulis, lotium lente, neque aliter nisi incoxato adolescente, tanquam alvum deposituro, effluit. Aeger autem vigesies et tricies in nycthemero lotium solet evacuare, ubi enim paulo longius lotium retineat, dolores in perinaeo solet experiri.

Catheterem in vesicam sine magno molimine immittere potuimus: circa locum vero ubi fistulae reperiabantur, catheter eminentem quamdam quasi moram offendit, cui transeundae, vectis fere adinstar ultro promovere ferramentum debuimus, encheiresi primis vicibus aliquantum difficili, sequentibus vero, re scilicet jam explorata et perspecta, nullius fere laboris.

Huic 27 Augusti accepto, argenteum catheterem pleniorum in vesicam per urethram immisimus, illudque identidem mutatum et mundatum, per mensem integrum citra molestiam aeger retinuit: exacto mense, totum lotium urethram sequebatur, fistulae erant impletae, illisque inducta erat cicatrix. Aeger vero ipsemet catheterem sibi apparari curavit, eoque ipsemet, quoties mejeret, per duos ultiores menses uti volumus, ut sanatio prorsus confirmaretur. — Curationi potens adminiculum fuerunt, fere quotidiana balnea diuturnissimae morae, horarum scilicet quatuor et ultra.

Cystitis chronica in juvene quondam calculo laborante et sectione laterali curato.

Cystitide chronica laborabat juvenis vicenarius, cui ante sex annos in Schola sectione laterali magnum phosphaticum calculum excideramus. Lotium libere, sed cum dolore per totam urethrae longitudinem, effluebat, assiduus quoque dolor regionem hypogastricam occupabat, pressionem tamen illius regionis aeger tolerabat, neque prostata, per anum explorata, pati videbatur. — Lotium saturati erat coloris, sedimentum floccosum, (non glutinosum) deponebat, eique abundissima copia sabuli impure albi et amorphi erat commixta. Universus tamen aegri habitus nunc multo erat firmior quam tum ante sex annos fuerat, cum aeger sectus est; nullum praeterea citra vesicam pati nobilius viscus vi-

debatur, nutritio, ceteraeque corporis actiones recte procedebant: sed vesicae dolores adeo juvenem affligebant, ut in Scholam eum iterum adegerint. Mirum fuit, urinam, in chronica vesicæ inflammatione et in tanta copia sabuli phosphatici, semper *neutram*, neque alkalinam scilicet, neque acidam, sub exploratione se præbuisse: inde forte est, quod nil *glutinosi* lotium deponeret, sicut esse tum solet plerumque, quum in cystitide chronica, purulenta mucosae vesicalis secretio, alkalinam lotii vim experitur ¹.

Prima hebdomade, cubans æger multam aquam (quavis hora poculum) pro remedio haurire jussus est; in usu aquae affatim epotae domi quoque levamen magnum expertum fuisse, æger asserebat. Sub usu aquæ, lotium valde clarius, quippe dilutius, evasit, leviorque fuit sub ejus emissionem dolor. Circa decimam vero diem, ex quo aqua utebatur, aeger in febrem vehementem incidit cum pertinaci vomitu, magno carniū calore et siccitate, facie livida, sinistra, et pulsus dejectione: neque prius quam hebdomade elapsa se remisit febris illa gravis, sub qua

¹ Ab experimentis a Dre *Babington* institutis constat, quodcumque pus, *alkali* commixtum, habitum glutinosum assumere, et speciem referre illius puris glutinosi, quod in chronica vesicæ inflammatione lotium secum trahere et in pelvibus abundissime deponere solet. Verosimile igitur forte est, lotium nostri ægri, tale glutinosum sedimentum propterea non deposuisse, quia *alkali* carebat. — Vide *Brodie*, Lectures on the diseases of the urinary organs. London, 1842 p. 106.

fere anceps aegri conditio visa est. — Extincta vero febre, vires restaurabantur, cibos iterum appetebat aeger, quivis timor disparuit: intus acidum nitricum ad unciam semis multa aqua dilutum tum adhibuimus, in vesicam vero, injectiones refluo flumine per bifarium catheterem (*Cloquet*) instituimus. His auxiliis per tres hebdomades adhibitis, tam allevatus se sentivit aeger, ut domum, nobis invitis, repetere voluerit, prius quam malum ex asse fuerit sublatum, lotium enim a phosphatica labe nondum erat immune.



ANI FISTULÆ.

Tam breves, in extremissimo ani orificio hiantes, fuerunt fistulae duae, quas supra specillum sulcatum incidimus, ut illæ vix sint memorandæ. Altioris dignitatis vero, fuit casus fistulae, vel potius chronici circa rectum intestinum vastissimi abscessus, qui rectum alte adeo circumdederat, ut sub chirurgia, incisa fossa ischio-rectali, *pelvia fascia nuda* facile tangi potuerit. — Vix aliquid certi de mali origine colligere licuit ex aegro, qui tantum retulit, se, ab annis quinque, perpetuis circa anum molestiis divexatum fuisse, et semel ac iterum tumente perinaeo, lotii quoque fluxum adeo fuisse interceptum, ut cathetere opus

fuerit. — Ita vero fere se habebat aeger quum acceptus est: a latere perinaei dextro, vix duobus transversis digitis supra tuberositatem ischiadicam, parvum dabatur foramen, naturali sed extenuata cute circumdatum. — Specillum per illud foramen inferne sursum immissum, fere ad arcum pubis *sub summa cute* per cuniculum subcutaneum compelli potuit. Sinus ille patefactus, pseudomembrana dura, rubra, granosa vestitum se praebeuit. Idem sinus transversim sub summa cute, a tuberositate ischiatica, secundum directionem plicae natium, ad trochanterem fere usque procedebat: hunc quoque, supra specillum, sulcatum incidimus, eumque eadem dura, granosa membrana vestitum invenimus. Plaga ita subcutanea praesto erat, quae, a pube ad tuberositatem ischiadicam, a tuberositate ischiatica, fere ad trochanterem usque transcurrerebat. — Cuniculus, circa trochanterem altius descendens, pinguedinem perforabat, et pone illam, quae in ea regione plicae natium crassissima est, se inflectebat, et transversim transcurrentes, a trochanterica regione ad latus perinaei se ferebat. Illic cuniculus quoque, altissima plaga, quippe quae totam pinguedinem persecare debuerat, patefactus, eadem pseudomembrana erat obductus, et per angustum foramen in fossam ischio-rectalem penetrabat. Persecto igitur lata plaga dextro perinaei latere, et patefacta fossa ischio-rectali, in amplissimam cavitationem inter sacrum et anum penetravimus: haec cavitas, eadem ac ceteri sinus pseudomembrana granosa, rigida, erat vestita:


superne, fascia pelvia superiorem ejus limitem constituebat, inferne fasciæ perinæi eam limitabant, et in medio ejus, rectum intestinum quodammodo suspensum haerebat — Aperta ita in perinaeo a latere ani ampla via cultro est, per quam humores, in magno illo cavo secreti, facile effluerent: quum igitur nihil amplius nobis faciendum tali in casu jam superesset, crassissimum ellychnium per vulnus, ad cavum usque immisimus, ne sectae perinaei orae confervescerent, operamque dedimus, ut, per totum curationis tempus, plaga a latere ani, per quam, in cavitatem rectum circumdantem datus erat accessus, nunquam clauderetur.

Æger chirurgiam bene pertulit, neque ab illa aliquod vel in ano vel in abdomine subortum est symptoma alicujus momenti. Cavitas illa, circa quartam diem pus reddere coepit, ellychnium igitur mutatum est, et per syringam aqua injecta est. Id quotidie per tres menses, quos æger in schola transegerat, factum fuit, et etiam nunc domi ab ægro fit; ad hanc enim usque diem patet cavum illud circa anum, et ex eo pus optimum profluit. An magna illa cavitas inter sacrum et rectum posita impleri unquam carnibus possit, vix sperare licet. Utcumque sit, functiones gastro-entericae nunc adamussim procedunt, nullum, circa rectum intestinum, dolorem sentit æger, libere quoque incedit, sed patente plaga a latere ani, quam fascia T—formi protegit. — Æger nuper, sexto scilicet mense a curatione, nos visitavit: per

omnia bene valebat, sinus inter sacrum et rectum intestinum longe contractior erat, ita fere, ut mihi nonnulla spes nasceretur, eum sinum in posterum impletum iri. Aditum ad sinum, qui nunc vix digitum admittit, semper apertum per crassum elychnium servare, aegro quam maxime commendavi. — Semicupiis, quibus fere quotidie utitur, valdopere allevari, ipse aeger agnovit.

Tumor hæmorrhoidalis strangulatus.

Haemorrhoidario viro consistentis aetatis, in itinere Charcoviam transgredienti, strictiorem alvum quum deposuisset, tumor hæmorrhoidalis extus ex ano protusus est: tumor momento citius fere ad magnitudinem castaneae majoris increbuit, et ægrum acerbo adeo dolore oppressit, ut nullum sibi corporis situm vel parum opportunum invenire potuisset. — Huic, extantem ab ani latere, tumidum, elasticitate renitentem, subatrum, a sphinctere suffocatum tumorem, facta audacter pressione, non sine magno sed brevi dolore, in anum refudimus, eoque protinus hominem a quovis incommodo vindicavimus. Hirudines admovere et soda sulphurica uti, discedenti post horam aegro jussimus.



MORBI ARTICULORUM.

Arthropathias prope quadraginta habuimus, quarum major numerus propter chronicitatem vix ullam curationem recipere potuit, articulis ex diuturnitate morbi jam ankylosi conglutinatis, vel carie exesis et loco motis, nulla arte restituendis. — Ex gravioribus casibus plures adfuerunt memoratu digni, caries puta articuli cubiti, qui amputationem postulavit; acutae synovitides, tum paracentesi, tum quoque sine cultro, modo feliciter, modo incassum curatae; synovitis in tarso celerrime mortifera; arthrophlogoses aliae acutae, ictu plerumque excitatae. Harum vero aegritudinum, tam earum quidem quas curavimus, quam illarum quibus curatio adhiberi haud potuit, quatenus adnotatione dignae fuerant, jam brevis mentio sequitur.

Omites externa.

Acuta externarum dextri humeri partium phlogosis vetulam quinquagenariam protinus prehenderat, 19 Februarii. Humeri articulus sine conspicuo rubore intumuit, acerrime doluit, augebanturque dolores tum motu, tum pressione vel levi. Domi sinapismum dolenti loco admovebat aegra, sine levamento. Quarta die, perstante tumore, doloribus potius auctis quam pacatis, aegrae in Scholam opem quaerenti, humeri articulo permulae cucurbitae cruentae affixæ sunt,

intusque soda sulphurica data est. Jam post hanc, ex quo sanguis evocatus fuerat, aegra tantopere allevata est, ut brachium attollere potuerit: altera die, tollendis ex asse morbi reliquiis, cucurbitae denuo admotae sunt, soda sulphurica denuo data est, tertia die discessit aegra, protecto stupa articulo.

Arthrophlogosis externa articuli humeri.

Potatori nondum tricenario, postquam ineunte Augusto (1845) noctem vino obrutus, sub dio transegisset, humeri sinistri articulus intumuit doluitque adeo, ut motui prorsus impar artus evaserit: neque malum recessit quamvis venæsectionem sibi fecisset æger, et unguenta adhibuisset; puapropter duos post menses, articulo præ dolore immobili, tumente, cubitum alia manu sustinendo, in Scholam se contulit, ibique vix passus est ut affectus articulus tangeretur, adeo a contractatione dolor, qui ab humero ad cubitum aspectu sanum transcurrerebat, augebatur. Venæsectio, cucurbitæ multæ cruentæ, et tartarus stibiatus, remedia fuerunt, quæ adhibita sunt; ab his quum post aliquot dies jam se valde allevatus sensisset æger, curationem ulterius protrahere, indocilis noluit.

Casus duo capitis humeri carie adfecti.

Capitis humeri carie affecti, ad resectionem fere opportuni, bina adfuerunt exempla: chirurgiam tamen

suscipiendi facultas defuit, aegri enim, ad recipiendam, non ferro et cultro, sed emplastris et unguentis sanationem, advenerant. Horum aegrotantium alter, quadragenarius, suapte introrsum loco motum habebat humeri dextri caput, fistulosi sinus ad articulum corruptum descendebant, et etiamsi a sex tantum mensibus, morbo, nulla manifesta occasione suborto, afflictus esset, valde tamen erat emaciatus, et valde jam toto corpore pati videbatur. — Alter vero, juvenis erat vix vicenarius, qui ab annis quatuor ex dextro humeri articulo laborabat, quin tamen hucusque universus corporis habitus majorem noxam persenserit: aiebat tamen, se, circiter ab anno, vespere æstum sentire cum quodam capitis dolore. In quadrante superiore humeri, parum supra insertionem deltoidei, introrsum, hiatus patebat caruncula obsessus, qui ichoris multum emittebat; vastior erat humeri articulus, contrectatus dolebat, artus difficulter et non nisi cum dolore, parum tantum movebatur: stylus per iter fistulosum altius procedebat, quin tamen ad nudum os attingeret. — Huic, jodium intus et extus diu adhibendum praescripsimus, non sine quadam spe futurae sanitatis.

Articulus cubiti.

Praeter cubiti articulum carie affectum, qui humeri amputationem desideravit, et cujus historiam in capite de amputationibus jam tradidimus, aliquot adfuerunt

casus ankyloseos, inter quos unus recordari meretur; cujus ankylosis, si vera retulit aeger, a perpeſſis vario-
lis erat repetenda. — Cubiti ſemiperfecta ankylosis a
luxato poſtrorſum et non reposito cubito, bis obvenit. —
Nonnulli item caſus obvenerunt externæ mediocris articuli
inflammationis, quæ cucurbitis et frictione mercuriali
ceſſit.

Morbi coxæ.

Affecti coxæ articuli quinque caſus adfuerunt, in
quorum tribus, articuli degenerati in ankyloſin jam
abierant: reliqui vero duo, unus ſcilicet in puero qua-
tuordecim annos nato, alter in juvene jam vigesimum
quartum annum emenſo, vix inchoatum exhibebant ma-
lum, quippe quod, dolore tantum circa coxam et clau-
dicatione ſe prodebat, nulla hucusque, neque in figura,
neque in artus directione, neque in ejus longitudine
deprehendenda mutatione morboſa: ægri in latus affec-
tum inclinatum incedendo corpus tenebant, a compreſſo
trochantere aequè ac a compulſo ſurſum femore
dolores augebantur. — Auxilia proſcripta fuerunt: cubatio
diuturniſſima, chininum ſulphuricum, et kali hydrojo-
dicum; extus cucurbitæ et fomenta ex ſublimate
corroſivo: quo vero profectu, nescimus; ægri enim,
neque erant urbani, neque in ſchola, deficiente loco,
accipi potuerant.

Morbi genu.

Articulos vexare, vexatosque negligere, quanti sit damni, et quae vel protinus, vel post longissimum quandoque tempus suscitari inde in illis graves aegritudines plerumque soleant, hocce quoque anno vidimus, potissimum in genu affectibus, qui fere omnes ab illata violentia, originem traxerant.

Synovitis genu a lapsu.

Coquae consitentis ætatis, tribus abhinc diebus de scala in sinistrum genu delapsae, articulus doluit, sine rubore intumuit: aegra tamen non cubavit, in emporio fuit, cibus magis quam dolori attendit: tertia vero die, malo ingravescente Scholam visitavit. Articulus non rubebat, sed effuso in ejus cavo affatim latice in tumorem renitentem erat sublatus, aegra flexo crure claudicabat, dolore torquebatur, quidquam febriebat.

Huic in Schola cubare nolenti, vena secta est, cucurbitae cruentae circa genu affigebantur, cubatio, cataplasmata et nitrum suadebantur. Quae auxilia quatenus profecerint tamdiu nescivimus, donec quartum post mensem ex suburbio in urbem coqua quum venisset, scholam denuo adierit: tum, prorsus erat restituta, nullum pristini affectus vestigium amplius offerebat: narravit autem, se vehementissime tres fere per hebdomades laborasse, gravissimos dolores in genu sustinuisse,

multas noctes insomnes traxisse; malum vero mitigasse et tandem dispulisse, stupam cannabinam ex aqua calida expressam, tumenti genu assidue et diligenter superdando.

Synovitis genu a lapsu in planta pedis, cucurbitis et stibio curata. — Pneumonitis gravis.

Viro prope quinquagenario habitus gracilioris, postquam Ianuario mense ex altitudine aliquot ulnarum erectus cecidisset, sinistri pedis articulus doluit paululum, et aliquantum intumuit: tum ad aliquot dies cubavit, frictionem linimento quodam sibi fecit, et pedis malum brevi dissipavit. Februarii vero ineunte dolor genu artus ejusdem occupavit, paulatim articulus in tumorem sublatus est, aegre incedere debuit aeger, noctes plerumque prae dolore insomnes transegit, ideoque in Scholam se recepit 5 Martii 1846. — Claudicabat, artum recte extendere nequibat, latice distenta erat articuli cavitas, dolores sub pressione resilientis tumoris aequae ac sub motu articuli exasperabantur, exasperabantur quoque ubi crus contra femur compellebatur: integumenta neque tumida erant, neque colorata, sed prae altero genu admodum calebant; concitati erant pulsus, ceterae vero corporis actiones adamussim peragebantur.

Huic *prima, secunda, et tertia* die cruentas tumenti articulo affiximus cucurbitas, quae multum san-

guinis evocarunt, et dolores quoque non mediocriter mitigarunt: *quarta* die, tartari stibiati grana quatuor ex libra aquae per nychthemerum haurienda exhibuimus, et in usu hujus remedii in diem usque *duodecimam* perreximus. Remedium nonnullam nauseam movebat, vomitum tamen non ciebat, sed sudorem affatim provocabat: tam potenter vero in morbum tartarus stibiatus egit, ut *duodecima* die curationis, visibili fere decremento vacua jam articuli cavitas esset, et nullum fere pristini tumoris vestigium superesset. Supererat tantum adhuc aliquis sub pressione dolor, potissimum quum patella contra subjecta ossium capita comprimeretur: dolor vero, adhibito circiter per hebdomadem emolliente cataplasmate se prorsus remisit. Circa *vigesimam* vero diem curationis, quum jam discessui se pararet aeger, mane protinus horrore intenso occupatus est, quem postmodum aestus excepit. Eo mane aegrum visitantes, magni carnium calores aderant, vires erant quam maxime prostratae, facies collapsa, genæ aliquantum cum livore rubræ, pulsus 105, tenues, debiles, abdomen flatibus tumebat, aliquis quoque in regione ileo-coecali suberat dolor, eaque regio contrectata, a commixtis cum aëre fluidis illud murmur edebat, quod abdominalis typhi, ut passim utcunque dicunt, fere pathognomonicum signum esse consuevit. — Altera die, perstante febre cum magna cutis ariditate et calore urente, jam manifestum fuit, succensum esse pulmo-

nem dextrum adeo, ut pectus eo in latere percussum omnino non resonaret, nec respirationis murmur redderet: aeger in dorsum cubabat animo viribusque prostratis, citate spiritum ducebat, parum tamen admodum doloris accusabat, parum quoque tussiebat, idque si quando contigisset, sputa subcrocea, spumosa, sanguine quidquam striata ejiciebat: pulsus occulti, debiles potius quam duri videbantur. Tamen, quum hocce in morbo pulsus minus sit fidendum, ter, tribus diebus, huicce aegro venam secuimus, intus cantharides ad granum in die exhibuimus, cantharidum emplastrum praemagnum nunc a tergo, nunc a fronte affecti lateris identidem et tantum ad horas duas tresve admovimus, ea cautione scilicet, ut cuticula, in bullas non attolleretur.—Hac curatione efficere potuimus, ut decima die post primam febrem, quaecunque praegressae pneumonitidis symptomata essent dissipata, pectus ubique apprime resonaret, insolitum sonum admota auris nullibi audiret.—Hunc aegrum, quartum post mensem in Scholam arcessitum, tam quo ad genu quam quo ad pectoris organa omnino sanum vidimus.

Hydro-synovitis genu, ab ictu calcis equi paractesi et stibio curata.

Auriga robustissimi habitus, vigesimum octavum annum agens, tribus hebdomadibus abhinc, ab equi calce ictum in sinistrum genu extrorsum accepit, ce-

cidit, et ob ingentem in articulo dolorem mox nec surgere, nec suis incendere viribus valuit: in cubiculum deportatus, spiritum camphoratum vexatæ parti superdedit, ea die cubavit, vespere vero insequentis diei caldario populari interfuit, quod ei summopere proficisse sibi visus est, sequentibus enim quinque diebus etsi nonnihil genu tumeret, incedere tamen sine baculo et sine dolore poterat, apparente dumtaxat dolore sub violento et citato incessu. *Septima* vero die, quum se tanquam sanum jam haberet æger, repente genu conspicue intumuit, et doluit cum calore. — Tum, autore medico, viginti hirudines tumori affixit; nihilominus genu dolere et tumere non desiit, et quivis articuli motus admodum difficilis et dolorificus evasit. Plus quam per decem dies domi morbum variis frictionibus extinguere æger conabatur: sed omnia cum irrita cessissent, Scholam adiit circa *vigesimam* morbi diem. — Articuli cavum nimio latice erat quam maxime distentum et renitens, genu affectum non rubebat, sed valde calebat, et mole sua alterum sanum fere bis superabat: articulum movere æger nequibat, sed baculo, et altero artu totus innixus, affectum crus trahebat.

Tumentem articuli capsulam cultello angustissimo, attracta prius cute, pertudimus; tum, impetu latex serosus, prius subcruentus, ad uncias fere quinque effluxit, sub fine vero, pus sero erat commixtum. — Evacuato articulo, quod sub assidua tumoris pressione, ne aër jam vacuum cavum penetraret, fieri curavimus, remis-

sa cute, ejus vulnusculum, vix lineam latum, linteo adhæsivo conteximus.

Mox dolor se remisit, et motui multum libertatis restitutum est: eam diem et noctem æger valde allevatus transegit; altera vero mane impletus iterum, sed minus quam prius, erat articulus, minusque renitebat. — Hodie cucurbitæ cruentæ permultæ circa articulum affigebantur, cataplasma emolliens superdabatur, intus vero grana octo tartari stibiati pro nychthemero ex aquæ libra exhibebantur. In usu cataplasmatæ æque ac stibii ad octavam usque diem perstitimus, in qua scilicet, jam nihil amplius laticis in cavo articuli haerebat. Virum *decima tertia die* dimisimus ea conditione, ut, et sibi in motu temperaret, tollendisque quibuscunque morbi reliquiis quotidie genu unguentum hydrargyri cinereum illiniret: quod quum diligenter æger fecisset, morbus non rediit.

Hydro-synovitis lenta spontanea sine successu curata.

Puero famulanti, decimum quintum annum agenti, mane cum surgeret, sinistrum genu dolebat, per diem vero, quum ingrederetur, dolorum expers erat. Post mensem circiter, dolores ingravescebant, nec mane tantum, sed interdium quoque, articulum tenebant: jam vero, genu intumuit, claudus æger factus est, crus incedendo non flectebat, sed ægre trahebat. Quinto morbi mense Scholam adivit, genu hydropico, incurvo,

calente, dolente, non rubente tamen, corpore emaciato, facie moesta, oculis lucentibus, pulsu 100^{ies} micante.

Huic, per totum curationis tempus mane chininum, vespere barytam dedimus, et *prima* hebdomade, genu glaciem identidem infricuimus, auxilium scilicet, quod hujusmodi in morbo posse, audivimus. — *Secunda* hebdomade, hirudines aliquot quotidie genu affiximus; — *tertia*, magna vesicatoria ad breve tempus, sed frequenter superdedimus; — *quarta* et *quinta* aromaticis genu fovimus; — *sexta*, *septima* et *octava* cicutæ emplastrum cum jodio supra genu injecimus, et fascia genu strinximus; omnia vero nil omnino profecerunt, neque morari amplius in Schola æger passus est.

Post quintum mensem, in hunc ægrum inquirentes, eum in Scholam spectationi arcessitum, corpore confirmato, et ex asse restitutum vidimus: narravit autem, se domi, affectum genu thuris et myrrhæ fumo subjecisse, eoque auxilio per mensem adhibito, malum prorsus recessisse.

Ankylosis spuria genu dextri a vulnere.

Diuturnum cataplasmatum et unguenti jodati usum lanioni suasimus, qui ad tollendam, quam in genu dextro gerebat a spuria ankylosi rigiditatem, remedium in Schola quæsivit. Hic, ante decem menses, quum agnum inter femora comprehensum jugulasset, sibi in genu dextro a latere patellæ vulnus inflixerat, quod, ex provocatis

malis, in articulum penetrasse videtur. Jam altera die a vulneratione, febris acuta cum incredibili genu et artus totius dolore mota est. Quarta die, quum phlebotomus venam secuvisset, levaminis aliquid sequebatur; sed febris mox recruduit, deliria accesserunt, vires fatiscebant, mirum in modum genu et crus et femur quoque intumuerunt; donec duodecima morbi die, distenta prætermo- dum a tumore cutis, in media sura et utrinque in poplite rupta est, et ingentem puris copiam, ad viginti libras, ut æger ajebat, effudit. Ea et altera die, sibi quam maxime allevatus æger visus est; sed febris perstitit, diarrhoea supervenit, macie consumebatur æger, noctes delirando transigebat, tandem auditum amisit, et tanquam commotæ mentis esset, ad quartum usque morbi mensem jacuit desipiens. Tum denique, quum medicus advenisset, qui multas circa genu admove- re hirudines et emplastrum superdare jussit, æger sensim sensimque restitui cœpit, febres disparuerunt, loca genu rupta coaluerunt, vires renascebantur, et primum sexto a vulneratione mense ex lectulo se proripere æger potuit. Simul ac convaluit et extra lectum fuit atque cibus iterum uti potuit, vir, habitus perquam robusti et pleni, sed a morbo extenuatissimus, celerrime, et robur pristinum, et pristinas carnes ac plenitudinem potitus est, sed genu rigiditas remansit, et propter eam artum, quoad figuram immutatum, sed quatuor cicatrices gerentem, unam ab accepto vulnere, tres ceteræ a rupto pure, sine flexu

trahere hucusque cogitur: ad tollendum hoc malum, Polyclinicum consultu adivit.

Ankylosis spuria et contractura genu, a vulnere.

Eadem ex causa suscitatum, prope idem quoque in genu sinistro vitium gerebat villicus, qui a vulnusclo ligna secando securi inflicto, in magnum vitae discrimen coniectus est, ex quo tandem evasit, superstite tamen in genu rigiditate et aliqua retractione, ob quam, incedendo, extremis tantum digitis terram attingebat. — Is narravit, post inflictum a latere patellae parvum vulnus, circa tertiam diem, genu cum dolore incredibili intumuisse, mox quoque intumuisse crus et femur, et sub continua eaque vehementissima feбри artum totum tantam (ut ajebat) adeptum fuisse molem, ut fere sui ipsius thoracis crassitiem superaverit. Duos ita menses lectulo afflixus transegit æger, carnibus semper urentibus, viribus exhaustus, summopere emaciatuS, extantibus ossibus, sudore nocturno diffluens, mortem cum vita commutare fere malens, quam miserimos inter tormenta dies ulterius protrahere. Jam vero, exeunte tertio morbi mense, in imo femore extorsum ingens ille tumor ruptus est, et tanta puris copia prorupit, ut, ægro ajente, lectus inundaretur, et omnes, qui in rustico tugurio praesto erant congii impleantur. Ab illo inde tempore omnia mala paulatim recesserunt; sed duos adhuc cubare menses æger de-

buit, prius quam nullum ex rupto loco pus amplius affluerit, et ex lectulo se proripere potuerit.—Hic, dissipandae genu rigiditati, per mensem unguentum kali hydrojodici genu infricare, et quotidie in balneo ad multas horas insidere iussus est: quibus praesidiis diligenter adhibitis, equidem terram tota planta attingens, circa diem quadragesimam discessit, restituta genu flexilitate.

Gonitis a lapsu.

Puellae trimae, ex mensa in terram genu dextro delapsae, genu doluit, altera die intumuit cum rubore et calore, motus impeditus est, febricula quoque accessit, saepe noctes sine somno transigebat aegra.—Hanc, post hebdomadem in Scholam deportatam, hirudinibus, frictione mercuriali, et humente perpetuo fotu, subinde intus dato calomelano, curavimus; aliquis dolor vero, et levis claudicatio, in secundum usque mensem perstiterunt.

Gonitis externa a lapsu, hirudinibus et litu mercuriali curata.

Puerulus annos quinque natus, duos post menses, ex quo in sinistrum genu ceciderat, in Scholam translatus claudicabat, genu vexatum valde tumens habebat, tumore subpallido, submolli, fere pastaceo, perinde fere ac si adfectio, jam ad gravissimam illam spectaret

ægritudinem, quam, a pallore, album tumorem appellant. Phlogosis tamen hucusque in mollibus genu partibus haerere, neque ad ossa descendisse videbatur. — Curatio absoluta est hirudinibus ter affixis, litu mercuriali, cubatione, purgato subinde per calomelanum corpore: circa vigesimam diem, perpassi mali vestigia erant dissipata. — Litus mercurialis, diligenter et assidue adhibitus, evidenter profecit.

Fractura femoris cum luxatione spontanea genu, contractura ejus et atrophia artus, a lapsu in genu.

Adolescens annos viginti natus, ante annos decem ex alto in genu dextro cadens, genu vehementer vexavit, femur vero circa medium fregit. — Pauper, sine medicorum auxilio, a profanis curatus, vitam quidem non amisit, sequentia vero, a suscepta noxa, in perpetuum duratura mala reportavit: — totus artus atrophicus est, deformis in medio femore callus extat; genu ankylosi solidum ad angulum rectum incurvatum est, extrorsum luxata est tibia, sic, ut externus femoris condylus internæ foveae capitis tibiæ sit adglutinatus: circa genu etiamnum itinera fistulosa patent, quæ ad capita ossium cariosa descendunt.

Tumor albus tarsi et metatarsi, lethalis.

In tumorem pallidum, submollem, tactu spongiosum, pressu dolentem, a malleolis ad digitos fere usque

degeneratus pes dexter erat vinitoris prope tricenarii, qui Scholam adiit 21 die Novembris anni 1845. Aeger pallidus, valde emaciatus, jam continua febris laborabat, nunquam pulsus infra 100 ei micabant. — In affecto pede molles partes jam erant degeneratæ in lardaceam et funginam massam, ossa erant mollita, et per plagas fistulosas, quæ patebant, specillo transfigi poterant: saniei multum prodibat, assidui dolores tumorem tenebant. A mensibus circiter decem laborabat, morbus vero, a lapsu, quem æger de scala in cellam descendens fecerat, provenire videbatur. — Pes, in tumorem, quem album dicunt, erat degeneratus, ejusque amputationem æger sustinere noluit: quapropter adhibito per mensem intus et extus jodio, sed incassum, æger sine levamine dimissus, aliquot post menses hectica consumptus domi obiit.

Synovitis tarsi acutissima, tertia die lethalis.

Puero gracili, tertium et decimum annum agenti, 10 Ianuarii anni 1846, nulla manifesta occasione, in dorso pedis dextri dolor subortus est, intumuit aliquantum cutis, et parum admodum rubuit. Tertia die, quum dolores perstarent, imo ingravescerent, claudicando Policlinicum visitavit. — Malleoli compressi non dolebant, dolebat aliquantum infra articulum tumidula et subrubra cutis, perinde ac si phlegmone esset ibidem nascitura. — Aeger cubare, hirudines decem dolenti loco affigere, cataplasma superdare, calomelani dosin

sumere jussus est. Sed dolores graviores fiebant, et perendie mane Policlinicum aeger iterum visitavit curru vectus, incedere enim propter dolores amplius non poterat. Externa mali facies eadem fere erat; sed dolores acerrimi et profundi in pedis dorso prope articulum diu noctuque aegrum torquebant, nihilque a remediis profectum est: quapropter, jam malum gravius esse, et, non in cute, sed altius in ossibus eorumque juncturis haerere suspicati, aegrum statim in stativam Scholam suscepimus, triginta hirudines dorso pedis admovimus, cataplasmata emollientia sedulo superdedimus, intus tartarum stibiatum porreximus, quo sumpto, vomuit aeger. Circa vesperem, febris ardens movebatur, magni aderant calores carnum, inquietudo, jactatio magna, accensa facies, pulsus duri et pleni, ad soporem proclivitas, subdelirium: secta, sine cunctatione, vena sanguinem reddidit crusta dura et crassa tectum. Noctem tamen, inter deliria et acerbos in pede dolores aeger male transegit, dolebant quoque articuli utriusque manus et cubiti. *Alter* die mane, febris remiserat, dolores pedis mitescere visi sunt, diem moderatius tulit aeger: vespere vero, febris iterum incredibili prope vehementia invasit, atrocissimi dolores pedem lacessebant, tumidior in tarso et aliquantum œdematosa evasit cutis, cataplasmata pondere vexabant, nox gravis et molesta fuit, nihil dormivit aeger, prorsusque deliravit. — *Tertia* die, omnia ingravescabant, pulsus 130^{ies} micabant, ominosa, tetra et su-

perciliosa erat facies, quasi aeger in desperationem a doloribus ageretur. — Paulo post desipuit, floccos colligens et genitalia continuo contrectans, disjectis cruribus, jacuit; tum, extrema frigus marmoreum et livor lethalis occuparunt, abdomen tympanicum evasit, circa meridiem periit.

In cadavere, textus cellulosus subcutaneus tarsi tumidulus, œdematosus, tumentibus, rubris, sanguine scatentibus venis — Patefacto articulo tibio-tarseo, cartilagine et ligamenta coloris et habitus erant naturalis; patefacto vero articulo inter primum et secundum ossium tarsi ordinem, tota articularis facies prærubra, coccinea apparuit, incidente quam maxime in oculos differentia illa inter naturalem pallorem articuli tibio-tarsei, et rubedinem juncturae *astragalo-navicularis* et *calcaneo-cuboideæ*. In abdomine et pectore nil prorsus abnormis invenire potuimus, in cerebro vero, arachnoidea erat aliquantum inflammata, effusa inter cerebri digitationes gelatina, et in ventriculis justo major seri copia.

Sequelæ distorsionis articuli pedis dextri.

Adolescens vicenarius, quatuor annis abhinc, fallente vestigio, sinistri pedis articulum sibi intorserat: per mensem cubavit, nullum tamen sibi remedium fecit, incedere dein coepit prius quam expers dolorum esset articulus. — Dolores in articulo hucusque perstant, arti-

culus plenior et totus artus altero valde gracilior est. — Praecavendae dolentis articuli degenerationi, hirudines, cubationem diuturnissimam, et plumbi iodati unguentum suasimus.



MORBI MUSCULORUM ET TENDINUM.

Ad morbos musculorum et tendinum, quos curandos habuimus, pertinet imprimis gangræna anteriorum cubiti musculorum; *crepitus morbosus* tendinis musculi abductoris longi et extensoris brevis pollicis; pes tandem equinus, cui deformitati tollendæ, tenotomia tendinis Achillis facta est.

Musculorum phlogosis seorsim tractata, apud auctores, nisi fallor, vix invenitur: esse tamen morbus non infrequens videtur, suis symptomatibus a phlegmone distinctus, gravis, rebellis, in duritiem et in gangrænam proclivis. Hæc inflammatio aliquando suapte, alias a contusione, a fractura nascituri item, post artuum amputationes æque ac post vulnera articulorum, unde arthrophlogoses suscitantur, artus musculi subinde inflammantur cum magno ægrorum periculo. — Myositidis spontaneæ gravissimæ exempla duo, itemque exempla duo mortiferæ myositidis, alterum a fractura, alterum post amputationem hoc anno habuimus: simul quoque exemplum adiposæ musculorum degenerationis præsto fuit.

Primum, præ ceteris conspicuum symptoma, quod in quovis casu myositidis se se offert, est membri

vel partis affectæ tumor, cum dolore et subjecta duritie, sine ulla in cute mutatione: motui impares muscoli fiunt, indeque artus, in quem muscoli inflammati feruntur, est vel flexus vel extensus, prouti morbus in musculis vel flexoribus, vel extensoribus sedem habeat. Simul ac artus, sine ulla in cute mutatione, molem suam auget, suspicanda jam est musculorum succensio: subinde tumor sine conspicua duritie est, et tum morbus levioris est gradus, nec terret; sed statim ac durities accedit, jam plurimum gravitatis morbo additum est. Duritiem subinde secundum tractum muscoli affecti vel adfectorum musculorum sequi, chirurgus explorans potest. — In omni fere casu myositidis vel spontaneæ vel a violentia quadam excitatæ, quos præ manibus habuimus, ubi jam non mediocris adfuit durities, inflammationem in gangrænam vel in degenerationem purulentam abire, nihilque omnino externa remedia, hirudines, cucurbitæ, cataplasmata, frigus, litus mercurialis vel jodatus, proficere, visa sunt, ac si vagina, in qua musculus inflammatus includitur, remediorum actioni insuperabilem obicem opponeret. — Procedente morbo, ut plurimum, cutis œdematosa fit, œdemate quodammodo duro, quod ægre prementis digiti foveam tam recipit quam amittit, unde adhuc major fit pallidi membri moles. Interea febris assidua esse, et totus corporis habitus alte pati solet: post indeterminatum tempus, manus quæ explorat, in una aliave parte affecti loci, illic cum primis ubi major erat durities, eam quasi mollitam sentit, ita qui-

dem, ut minus exercitis manibus mollities illa, pro fluctuatione imponere possit. Oedema cutis et profunditas adfecti loci, difficile sæpe iudicium reddit, utrum mollitus tantum, an vere fluctuans sit ille locus in quo hujuscemodi fluctuatio deprehenditur. Culter in illa sede immersus nil ut plurimum evocat, vel, si incisio non protinus, sed aliquot post dies facta sit, quidquid effluit, gangrænosa est sanies: mollities enim plerumque vel a suborta jam gangræna pendet, vel ab effuso spisso, inter fibras musculi insinuato, pure.

Hujuscemodi prope, sed mitior, quippe qui nec in gangrænam neque in suppurationem degeneravit, fuit casus inflammatorum surae musculorum in femina illa cui mammam extirpavimus, cujus historiam in capitulo de morbis thoraci insidentibus retulimus (*V. p. 170*). Sura valdopere intumuit, nihil mutata est cutis, durities magna fuit, morbus cum magno dolore, cum assidua febre, per unum mensem perstitit, et tempore magis quam remediis, etsi potentissimis, recessit. — In homine item qui a fracto, cum plaga cutis, femore periit, (*V. p. 34*) totum membrum a genu ad inguen cum duritie, oedemate, dolore, sed sine cutis rubore, summopere intumuit ab inflammatione gangrænosa musculorum femoris, quæ mortem induxit. — Homini illo cui amputationem femoris circularem ad methodum Sansonii fecimus, (*V. p. 99*) et qui decimum post diem inde periit, truncus præcisi artus intumuit, cum dolore assiduo, sine cutis mutatione, quae tantum postremis

diebus œdematosa evasit, et in cadavere musculos omnes ad medium usque femur gangraena degeneratos reperimus, supra gangraenam apoplecticos, pure infarctos.

Myositis gangrænosa, gravis.—Tandem, non vulgare et profecto dignum, quod memoretur, myositidis exemplum vir obtulit annos quatuor supra quadraginta natus, cui pars musculorum in volari cubiti dextri facie, gangrænosa inflammatione occupata est. Is, robustus et apoplectici habitus, ante tres dies temulentus ceciderat, plagam inde contusam in sinistra jugali eminentia contraxerat, et dextrum quoque vexaverat cubitum, nullis tamen ecchymoseos signis apparentibus. Cubitus insigniter tumens et semiflexus, neque extendi, neque flecti poterat, summopere dolebat, durus erat: cutis coloris quidem erat naturalis, sed œdematosa, œdemate solido, quod foveam comprimentis digiti ægre recipiebat, diuque retinebat; dolores in summa volari cubiti regione deorsum ad carpum et digitos usque irruebant, digiti semiflexi, quodammodo rigidi, motu erant destituti. Febris aderat, cum pulsu pleno, præduro.

Prima et secunda curationis die, sesquilibra inflammatissimi sanguinis extracta est, multae cubito affixae sunt cucurbitae cruentae, cataplasma emolliens assidue superdatum est: sed perseverabant eodem omnino tenore tumor, dolor, et durities, potissimum in triente cubiti superiore, ubi prima et præcipua erat morbi sedes; perstabat quoque febris, et valdopere

timenda, in tanta duritie, tumore, et dolore, artus gangræna videbatur: huic igitur antevertendæ, cubito quinquaginta hirudines admotæ sunt, intus uncia acidi muriatici, multa ex aqua, per nycthemerum haurienda, exhibita est. *Ad octavam diem* usque, emendatio nulla, febris, pulsus 102, dolores in cubito assidui, insignis loci adfecti durities, nulla cubiti flexilitas. *Nona* die, inter dolores, usque in axillam gravissimos, vultus sinistram et ominosam notam concepit, æger cum virore pallidus factus est, pulsus prius pleni, duri et elati, nunc depressi, molles, et exigui tangebantur, videbaturque sibi æger circa pectus angî et pondere opprimi. *Ea* die, cubiti locus, prius duritie insignis, mollitiem quamdam, profundam quasi fluctuationem, præ se ferre visus est: sed nil omnino puris, nil fere sanguinis locus ille, angustissimo cultello pertusus, emisit. *Decima*, toto corpore multum sudavit, indeque quidquam allevatum se sensit aeger, pectore minus oppresso erat, semper tamen febricitabat. *Undecima*, ex plagula inflictâ ichor subnigrum, fœtidum, bullosum, premendo expressimus. *Decima tertia*, circa plagam in sulco cubiti mediano, inter pronatorem rotundum et supinatore longum, cutis gangrænosum livorem contraxit, dolores et febris se valde remiserant. Diebus insequentibus eschara cutis gangrænosæ multum puris subter reddebatur, circum solvebatur, et tota, tres fere pollices longa, die *decima sexta* secessit, nuda plaga patente, ex qua, tanquam ex vagina, gangræna occisam magnam

partem *ventris muscoli supinatoris et pronatoris* vol-
sella evocare potuimus. Ulcus cavum, altissimum, quod
deinceps remansit, paulatim carnibus impletum est,
sed magna semper circum perstitit durities: hæc, sub usu
balneorum et unguenti iodati partim recessit, plaga
cicatricem profundam concepit, aegerque Scholam
reliquit quadragesimum post diem, nondum prorsus
restituta carpi flexilitate, duris cubiti flexoribus musculis,
rigentibus hucusque digitis. In usu maniluvii et un-
guenti iodati diu perseverare aeger jussus est.

Crepitus morbosus tendinum turgentium.

Affectio illa tendinum per vaginas aponevroticas trans-
currentium, quae, a turgore et siccitate pendens, pe-
culiari attritus tam sensu quam sonu se prodit, et *cre-
pitum tendinum morbosum* postremis temporibus ap-
pellare placuit ¹, semel manifestissima in cubito fabri
lignarii occurrebat. Huic rudia opera manibus peragere
solito, paucos ante dies, in extremo cubito dextro,
qua parte tendines supra radium transcurrentes ad
pollicem feruntur, dolor prehendit: suis se laboribus
non nisi aegrius dare manus illa potuit, et objecta
quae apprehendere voluerit, constringere nequibat.
Quum igitur in Scholam se contulisset, æger, simul ac
affecto cubito manus admovimus, singularem illum

¹ Velpeau, Leçons orales de Clinique chirurgicale. Bruxelles. 1841
p. 568.

attritus sonum et sensum, secundum iter *extensoris brevis et adducturis longi* percepimus, eo equidem attritu æquiparandum, quem *nix compressa* prodit. — Regio illa radii a motu pollicis et a pressu dolebat, et tumidula quoque nonnihil extabat: crepitus adeo erat manifestus, ut eum, sub motu pollicis, etiam aure non admota, audire eminus adstantes potuerint. — Hunc sonum, non ita pridem, quum scilicet nondum ægritudo hæc sibi auctorum attentionem satis adscivisset, pro fracturæ crepitu imposuisse, celebres in arte viri nuper memoriae prodiderunt ¹.


Tollendae aegritudini, affecto loco hirudines primum admovimus, tum quietem imperavimus, et fomentum ex sublimato corrosivo, solvendis phlogosibus profecto potentissimum, praescripsimus; quo vero eventu, nescimus, aeger enim reportato consilio amplius non venit.

Pes dexter quinto gradu equinus. — Tenotomia.

Puellæ rusticæ decenni pes dexter a natu erat equinus, et crus cum femore gracilius: clauda incedebat, neque ambulando genu flectebat, digitis tantum et extremis metatarsi ossibus humum attingebat: pes extremus, in dorso valde erat gibbus, in planta crenatus. Huic, 13 Januarii, tendinis Achillis subcutaneam sectionem, tenui tenotomo obtuse mucronato fecimus, puncta prius, acuto, cute: triduo post, sauciato pedi extremis digitis exceptis, ad mediam usque suram gypsum su-

¹ Velpeau, L. c. p. 568.

perinfudimus, flexo vi pede donec massa gypsea solidesceret. Ita, partim cubando, partim sedendo, hebdomadas duas nullo incommodo transegit ægra: his præterlapsis gypseam thecam confregimus, et pedi caligam a tergo rigidam aptavimus. Exeunte mense, ægra dimissa est talo incedens; tum vero, pedem sursum flectere nondum quibat, musculis flexoribus vel paralyticis, vel longa et congenita extensione se se contrahere nesciis: adjuvante vero caliga recte incedebat.



DE AFFECTUBUS MANUUM, PEDUM, ET UNGUIUM.

De vulneribus manuum et pedum jam sermo fuit, quum de vulneribus egimus; superest ut ceteri, præter vulnera, harum partium affectus memorentur.

Gangræna manus mortifera.

Infans bimus, dextra manu gangraenosa in Scholam quinta Septembris illatus, exeunte sexta, periit. Rustica mater quæ natum adduxerat, malum a contusione ortum fuisse narrabat. Augusti scilicet 24 die, infans baculo ludens medium digitum dextræ manus ad unguis radicem paululum contuderat, et biduo post gangraena digitum ad primam usque phalangem occupaverat. Diebus subsequentibus altius latiusque gangraena serpens, proximos quoque digitos indicem et annularem invaserat, totaque fere manus, circa decimum diem, mortiferum malum

occupavit. Duodecima die ab exordio mali, puerulus in Scholam adductus, non spe sanationis, sed autopsiæ occasione susceptus est.

Manus ad articulum usque carpi sphacelo erat occupata, duo tantum adhuc haerebant digiti, minimus scilicet et pollex, qui jam gangraenoso livore livescebant: reliqui digiti ex articulo erant delapsi, eosque manus perdiderat; indicis extrema tantum phalanx, suis adhuc nudis tendinibus haerebat. Circa articulum, inter vivas et mortuas partes nullus omnino dabatur limes, cutis gangraenæ finitima erat pallidissima et nonnihil oedematosa: cum livore pallidissimum totum quoque corpus. Infans calebat, numerari arteriarum præcipites ictus vix poterant, inflato abdomine, lachanissans, mortuam manum subinde mordens, per noctem jacuit, mane cibos appetere visus est, eadem vero die periit.

In cadavere, textus cellulosus subcutaneus extremi cubiti erat induratus et incrassatus; musculi quoque tenaci inflammatorio glutine inter se cohaerentes; vasa cum vaginis suis et cum adjacente celluloso textu arcte coglutinata; venae, tam cutaneæ quam profundae atro, denso sanguine infarctae; interna arteriarum atque venarum majorum tunica aliquo rubore infecta: inflammationis indicia ubique circa gangraenosum carpum aderant:—cetera organa sine labe.

Historia gangraenæ, manum, imo cubitum totum hominis mediæ ætatis occupantis, reperitur in capite de amputationibus (p. 88.)

Dactylitides (Panaritium) a necrosi ultimae digitorum phalangis quater obvenerunt, ter in pollice, semel in indice: apud omnes jam rupta erat phlegmone, et os plus minus nudum prostabat. Ossis necrotici evulsio, et balnea kalina longissimae morae, auxilia fuerunt, quae ad solvendam duritiem textus et promovendam ulceris cicatricem, adhibita sunt. — Adfuit quoque casus necroticae ultimae phalangis hallucis dextri, quam carnes plurimum incrassatae et durae amplectebantur: aeger a multis mensibus deformatum et dolentem hallucem gerebat, emplastra multa incassum superdederat, causam morbi nunquam noverat. Fistuloso ulcere, quod ad os occisum ferebat, lata plaga ampliata, os forcipe arreptum, torquendo, extirpatum est: pediluviiis cito convaluit. — Excisi ob cariem phalangum hallucis historia, in articulo de amputationibus tradita est. (p. 105.)

Dactylitidis sine ossium affectione quatuor casus obvenerunt: in uno, pus sub ungue haerens, immissa sub ungue lanceola, evocatum est: unguem aeger amisit, novam recepit. In quovis reliquorum casuum, extremus digitus jam purulentus erat et ruptus, tarde nimis adventantibus aegris, ut praecaveri purulenta degeneratio potuisset: maniluvia kalina longissimae morae, auxilia fuerunt, quae suadebantur.

Paronychia, quam malignam dicunt, a chronica inflammatione matricis unguis, altera in pollice, altera in indice obvenit duarum puellarum, quae a pluribus jam mensibus eo malo deformatum digitum gerebant.

Unguis rudera flava, lurida, extantia, exulceratae et incrassatae matrici adhuc haerebant. Quidquid unguis remanebat, vi evellimus, maniluvia, parva dosi sublimati corrosivi potentia, praescripsimus.

Arctura unguis hallucis cum exulceratione sulci lateralis interni, (unguem incarnatum dicunt) semel in adolescente, in virguncula semel occurrebat: in utroque casu, morbus erat vetustus, multas aegris molestias facessebat, incassum unguem carnes laedentem aegri excidebant. In utroque casu, totum adfecti unguis latus caustico viennensi ambussimus; delapsa eschara, pediluviiis et siccis carbasis ulcus ad cicatricem perduximus.


Supernumerarii digiti minimi in utraque manu exemplum praebuit puella, quinto a natu mense in Scholam deportata. A latere externo phalangis *primae*, ex plica cutis, rudimentum digiti, una tantum, eaque globosa phalange instructum, et ungue praeditum, dependebat.— Rudimentum superflui digiti forficibus excidimus, arteriolam circumjecta fascia compressimus, et parvo vulnere, brevi cicatrix inducta est.

Pemphigus solitarius in dorso manuum.

Nonnullius profecto momenti fuerunt casus illi *pemphigi solitarii* manuum, quos quater observandi, hocce anno quoque, occasio adfuit. Nullus hucusque annus Clivicus praeteriit quin aliquot sese aegrotantes obtulerint, qui, modo in dorso manus, modo in dorsali facie

phalangis primae unius alteriusve digiti extantem et latice turgidam, subatri coloris bullam, magnitudinis dimidiatae circiter nucis juglandis gestabant. Hujusmodi bulla, halone rubella et sublivida circumdata, cuti aliquantum tumentis et dolentis insidebat, praepedita inde manus actionum, plus minus, libertate: laticem serosum coloris impuri, plerumque subcruenti, continebat, eique puris aliquid admixtum quoque erat; inde coloris erat ut plurimum livescentis, et per eam puris globuli, in fluido innatentes, apparebant.—Aegri solent in loco ubi proruptura est haec bulla ardorem et pruritus persentire, tum jam bullula prorumpit, latescit, diffunditurque halo illa inflammatoria qua circumdatur. Symptomata universa, febris vel calor, ab hacce topica affectione moveri non vidimus, quatenus saltem ex aegris eruere potuimus, qui, malo jam confirmato, sese semper obtulerunt.

Hujus pemphigi solitarii (ubi hoc aptari huicce adfectui nomen liceat,) quatuor casus habuimus, quemvis in hominibus jam consistentis aetatis. In quovis, ampullam incidimus et simplicia fomenta superdedimus: incisa bulla, reticulus inflammatus, sanguine scatens, et coloris ex rubro lividi se praebuit.—Causam hujus mali nunquam eruere potuimus, neque punctio scilicet, neque insecti morsus insimulari unquam poterant.



MORBI CUTIS TAM ACUTI QUAM CHRONICI.

Erysipelas, ulcera, furunculos, chronicas denique dermitides tuberculosas, papulosas, vesiculares, bullosas, pustulosas, hocce in capite amplectimur: harum cutis affectionum summatim prope sexaginta exempla in Policlinico adfuerunt.

Erysipelas, quod præterito anno, tam hieme quam vere, adeo frequens adfectio fuit, ut fere cuique vulneri, tam forte quam arte facto interveniret, curationesque chirurgicas valde interciperet, longe rarius per hunc annum obvenit.—In homine illo, cui in fossa suprascapulari dextra altus abscessus subortus est, (p. 159) tertia die, ex quo abscessus incisus fuerat, erysipelas apparuit cum febre, et ex cervice per dorsum ad lumbos usque descendit.—Erysipelas item movebatur in juvene, cui chronica post neglectum vulnus amplissima plaga, sicca et dura, supra patellam hiabat: (p. 19) hunc scilicet, quum ulcus jam valde esset coarctatum et fere cicatrici proximum, repente febris ardens invasit, et altera die circa plagam erysipelas motum est, quod paulatim sine graviore symptomate per tibiam ad malleolos usque descendit.—Erysipelate valde tumentem aurem in femina adulta vidimus, de qua jam alias locuti sumus. (v. p. 115).

In quovis erysipelatis casu, præter internum usum mox tartari stibiati, dein eccoproticorum et potus acidi, loca erysipelate affecta penicillo tinctura jodii gravido

bis die inficere, ab aliquot annis soliti sumus, et hujusmodi auxilium ut plurimum proficere, dolores scilicet mitigare, morbum celerius extinguere nobis visum est.

Ulceræ omnium frequentissima, in cruribus obvenierunt, eaque plerumque fuerunt varicosa, neglecta, chronica, callosa. In omnibus casibus varicum æque ac ulcerum inde pendentium, ægris cubare, modo sulphate sodæ, modo aloë uti, crura humentibus fomentis diuturnissime fovere et humenti dolabra stringere imperavimus, neque prius iis concessimus ut se erigerent atque ambularent, quam inducta ulceribus et *ab aliquot hebdomadibus confirmata* fuisset cicatrix. Casibus inveteratis, quibus socia circum erat magna durities, superdatum *vesicatorium* ad discutiendum callum et celerio-rem reddendam incrassatæ cutis extenuationem, valde profuit. Omnibus vero ægris, quibus vel semel ulcera in cruribus jam rupta fuerant, per totum vitæ cursum fasciam comprimentem mane in lectulo injicere suavisimus, auxilium, ad præcavendam ulcerum recrudescen- tiam profecto tam necessarium, quam omnium oppor- tunissimum. — *Chirurgicam* varicum curationem nunquam suscepimus.

Furunculi in labio superiore, in supercilio, supra genas, circa mentum, supra dorsum, supra parie- tem abdominis, in dorso pedis, modo cum mediocri, modo vero cum magna circumpositi textus inflamma- tione, exempla plura obvenierunt. Plerumque, mox eme- ticum, tum sulphas sodæ exhibuimus; mitigandis vero

doloribus et solvendo celerius malo profuerunt hîruidines circa furunculum affixæ, cataplasma vel emplastrum oxycroceum: ad sollicitandam nuclei gangrænosi ex sinu furunculi expulsionem, subinde per foraminulum furunculi specillum immisimus, quo nucleum rupimus, eoque, exitui aptiorem eum reddidimus. Furunculi in supercilio, sæpe minimi, ab ipsis ciliis absconditi, plerumque œdematosam reddiderunt superiorem palpebram. — Furunculus in superiori labio, qui semel in femina adfuit, mirum in modum os ejus deturpavit, atroces dolores suscitavit, eumque nondum maturum, ut facilius solveretur, neque nimio pure labium extenuaretur, incidimus.

Inter *Dermitides*, eæ quæ frequentius obvenerunt, fuerunt *eczema*, tam simplex quam impetiginodes, plerumque chronicum; *impetigo*, tam sparsa quam figurata, et *impetigo larvalis* infantum. *Porriginis favosæ*, veræ scilicet tineæ capitis, unicum tantum adfuit exemplum. — *Acnes* in facie et in dorso exempla septem, — sex quoque *lichenis*, duo *ecthymatis* adfuerunt. — *Psoriasis guttata* per totum corpus diffusæ exemplum pulcherrimum semel adfuit, tria vero exempla *psoriasis* circa genua et olecrana.

Ad impetiginem larvalem infantum, qui ad nos ob adfectas cum facie palpebras plerumque ferebantur, remedia præscripta, fuerunt calomel, qua purgans subinde exhibitum, et reiteratae tepentes lotiones vel fomenta ex infuso specierum aromaticarum cum herba

cicutae: hæc remedia, quum ad abigendum sat celeriter exanthema plerumque profecissent, decantatum illud *jaceae* specificum hocce anno non adhibuimus. — Aegris *eczemate chronico* vel alia *chronica dermitide* affectis, ad curationem in Schola, propter diuturnitatem, vix unquam aptis, internum jodii usum, et humidum diuturnissimumque fotum partium exanthemate affectarum, spleniis, vel ex simplici aqua, vel ex aqua kalina expressis, plerumque suadebamus.

Ne tamen harum quoque curationum exemplum deesset, tres per menses in Schola curavimus aegram cujus artus inferior dexter *eczemate chronico* erat affectus. Haec, annos nata duos supra viginti, semel enixa, se in Scholam contulerat moestissima, quippe quae, propter morbum qui ab inguine ad malleolos usque artum dextrum deturpabat, a marito immiti divulsam vivere cogebatur. Cutis artus affecti indurata erat atque incrassata, aspera, fissa, luridi coloris, artusque totus, ob integumentorum crassitiem, altero sano multo erat vastior. Ab anno sesquiuno laborabat, et ob morbi diuturnitatem, vix propria, primitiva scilicet, dermatoseos forma apparebat. Aegra calore et prurigine intolerabili divexabatur, vestes hic illic artui adhaerescebant, cutis hic spuria pellicula contegebatur, illic in ulcera superficialia, latice humentia, rumpebatur; universa tamen aegræ conditio incorrupta erat et firma. — Aegrae, per totum curationis decursum, prius scrupulum semis, dein integrum kali hydrojodici in nycthemero


exhibuimus; eam subinde sulphate sodae purgavimus; artum vero, a malleolis ad inguen usque fascia arcte injecta strinximus, quam frigida aqua saepissime irrorare jussimus, ut semper maderet. Post mensem, loco aquae simplicis, ad humectandas taenias, solutionem tenuissimam sublimati corrossivi adhibuimus: tertio denique mense fomento fuit infusum ex aromaticis.—Restituta est, sed post tres menses venit iterum, pristino malo jam renascente.

Lymphangioidis brachii dextri.

Ad cutaneos quoque morbos tandem liceat referre genuinum et pulchrum *lymphangiotidis* exemplum, quod ineunte Januario videre contigit. *Famulum* consistentis aetatis lassitudo et horror, ad vespertas aestus, sitis, capitisque dolor acerbis invaserunt; nox implacida sine somno fuit. Ante lucem, axillam dextram dolor occupabat, secundum internam artus faciem in ipsam usque manum irruebat et aegrum valde molestabat. Mane vero quum aeger surrexisset, artumque rubris, in longitudinem transcurrentibus striis variegatum conspexisset, consternatus, Scholam sollicitè adivit 6-ta Januarii anni 1846. Febris urgebat, magni aderant calores carniū, facies rubra, oculi colorati, iisque veluti fulgura oberrare sibi videbatur aeger. In volari autem facie artus dextri, distinctae laeteque rubentes striae secundum radiale latus transcurrebant: haec, flexuoso itinere, infra cubiti flexuram in latiore

rubram maculam adunabuntur, eique maculæ tuberculum latiusculum, acerrime dolens suberat: ex illa sede maculata ternæ striæ, quasi taeniæ, iterum emergent, et, laxioris quodammodo retis in modum, hic coëuntes, illic iterum dissociatæ, in axillam desinebant: in ipsa vero axilla, nulla aderat rubedo, nullusque tangebatur tumor, sed dolor aderat gravis, tactu vel levi exasperandus. Striæ humerum et cubitum transcurrentes nihil tumebant, prorsusque nihil mutata erat circumposita cutis.

Huic vix accepto vena secta est, soda sulphurica data est: fere protinus a sanguinis emissione febres mitescebant, vespere non exasperabantur, noctu placide dormivit æger, toto corpore sudor dimanavit. Postridie mane, adhuc sudore madida erat cutis, axilla valde minus dolebat, striæ brachium transcurrentes, jam valde pallidiores, fatiscebant: *ea die et altera* apyreticus æger nullis remediis usus est, tantum cubavit, sudorem fovit; *quarta* lectum deseruit; *quinta* discessit absque vestigio perpessi morbi. — Fuit pulchrum exemplum inflammationis spontaneæ plexus lymphatici superficialis cubito-cephalici.



MORBI OSSIUM.

Tumentis a lenta inflammatione tibiæ casus quatuor habuimus, in quovis cum dolore ossium rodente, tam diu, quam noctu ægros torquente. In duobus casibus

a contusione, in duobus a scrophulosa diathesi vitium pendebat: in illis hirudines et frictio mercurialis, in istis kali hydrojodicum, tam interne quam externe, adhibitum est.—Eadem quoque curatio per jodium, opposita fuit tumentibus cubiti ossibus, quod vitium semel in puella scrophulosa obvenit, semel in juvene: his in casibus, sive a syphilide, sive a scrophula fuissent repetendi, (quod eruere non semper facile fuit,) summæ virtutis se kali hydrojodicum semper præbuit, post cujus scilicet vel brevem usum, dolores plerumque remiserunt: in usu vero remedii, plures per menses perstare consuevimus.

Calcaneum totum necroticum, extirpatum.

Omnibus vero casibus ad morbos ossium spectantibus, notabilior ille fuit, quem puer quidam rusticus, octo natus annos, obtulit, cui scilicet, *totum calcanei os*, necroticum, extirpatum est. Is, gracilis, lymphatici habitus, postquam domi, per menses circiter octo, contracto genu et tumente sinistro pede cubasset, in Scholam translatus est 26 Sept: ann: 1846. Januario ejusdem anni, pueri hujus *pes cum crure*, magno cum dolore intumuerant, et tumor, tam a latere sinistro *genu*, quam circa calcem abscessionem fecerat, ruptusque magnam vim puris ejecerat. Jam primum post mensem, fons puris circa *internum condylum* haerens exaruit; *calcis* vero abscessus, *in ulcus sinuosum* degeneravit, et humorem ad hoc usque tempus emittere perrexit. Quum puer in Schola acceptus fuisset, genu ad angulum

Fere rectum contractum gerebat, quin tamen ossa conglutinata esse viderentur, et internus condylus, circa loca ubi rupti dudum abscessus vestigia visebantur, compressus dolebat. Pes vero circa malleolos et regio calcis, absque rubore tumebant, planta pedis adinstar vari introrsum spectabat, et in postica calcis parte paulum sinistrorsum hiatus visebatur, per quem, specillum ad os usque nudum et mortuum descendebat: pes insuper fere totus, circa articulum praeipue, dolebat, augebanturque dolores sub quovis motu, quem aeger, tranquillissime cubando, diligenter vitare satagebat. Ceteroquin, puer non febrieat, et etiamsi pallidus extenuatusque esset, ceterae corporis actiones recte procedebant.—Pedis conditio, primo intuitu tam gravem se praebebat, ut de amputatione cogitandum esse videretur: attamen, quum haec in longius tempus differri, aegro nondum febriente, potuisset, curationem inchoavimus mitiorem, et puero quotidie grana quinque kali hydrojodici porreximus, pedi vero cataplasmate emollienti et quotidiana frictione unguenti ex plumbo jodato prospeximus. Sub hacce curatione, pedis tumor extenuari et dolores mitescere visi sunt: circa quadragesimum autem diem, dum stylo per fistulosum ulcus demisso, mortuam ossis superficiem exploraremus, os calcanei totum paululum moveri deprehendimus: quapropter, protinus compulso inter os et cutem sulcato specillo, sinum fistulosum, tam antorsum quam postrorsum, late patefecimus, et subducto

ossi vecte, calcaneum totum per viam mox large patefactam, sine peculiari labore, excussimus. Tum in calcis sede, magna cavitas remansit, cute dura et crassa circumdata, ex cujus sinu subsequentibus diebus pus multum profluxit. — Pristina in curatione perstantes, hiatus oræ extenuabantur, intus trahebantur, calcis vulnus cavum implebatur, donec circa vigesimam diem, ex quo calcaneum excussum fuerat, plaga prorsus concrevit, remanente contracta et rugosa cicatrice.

Inter hæc autem, et genu quoque spuria anchylosi rigidum et contractum restituere allaboravimus: adhibito assidue emollienti cataplasmate, et illito diligenter circa genu unguento plumbi iodati, rigiditas laxari, et crus in directum protendi posse cœperunt: tum igitur, articulum jam relaxatum, in canalem coniecimus, donec amissa flexionis habitudine, rectam directionem servaret. Id circa medium tertium curationis mensem contigit; eoque exeunte, ægrotulum dimisimus recto crure et tota planta humum attingente. — Gypsea imago pedis calcaneo orbat, et necroticum sed integrum calcaneum, in Museo Clinico asservantur: figura pedis parum a naturali abludit, regio calcis tantum minus extat, et profundam cavam cicatricem gerit.



Conditio.	Accas.	MORBUS.	NECROSCOPIA.
Caupo.	15	Fissura basis cranii. — Mors tertia die. (v. p. 25.)	Fissura a meatu auditorio dextro, procedit per basim apophyscos petrosæ et per sellam turcicam ad foramen caroticum sinistrum, et ab hoc, per foramen opticum ejusdem lateris ad cristam galli: nullum sanguinis coagulum.
Auriga.	28	Fractura cranii. — Mors post horam. (v. p. 27.)	Os temporale dextrum cum ala majori ossis sphenoidæ contractum; os frontale et occipitale fissa; parum concreti sanguinis infra lobum medium cerebri sinistrum, sub dura matre.
Auriga.	26	Fractura femoris dextri cum laceratione carni. — Perit decima sexta die. (v. p. 34.)	Musculi femoris gangraenosi: femur supra condylos obliquiter fractum, et condyli media rima disjuncti: venæ femoralis et iliaca, usque ad cavam, inflammatae: sparsi in hepate abscessus.
Scriba.	26	Caries cruris dextri. — Mors duodecima die post amputationem femoris. (v. p. 99.)	Musculi femoris deorsum gangraenosi, sursum inflammati, duri, hic illic pure infarcti; vena femoralis et iliaca inflammatae, sanguine concreto et pure obstructae.
Rustica.	40	Cystis supra sternum, corrupto osse, cor comprimens. — Mors noua die post cystidis punctionem. (v. p. 99.)	Cystis gangraenosa; os sterni medium exesum, interna ejus membrana integra, sed a tumore intropressa, ideoque basim cordis comprimens.
Rusticus.	40	Cancer labii inferioris et mandibulae. Excisio cancri, resectio maxillae et reflectio labii. — Mors octava die. (v. p. 141.)	Rarum exemplum chronicæ pneumonitidis: pulmones indurati, fragiles, asperi, coloris plumbei; cor emollitum. Perfectus labii restaurati coallitus.
Plebejus.	50	Cancer glandularum colli. — Perit tertia die ab ingressu. (v. p. 158.)	Glandulae lymphaticae sinistri lateris colli in cancerum apertum degeneratae; mandibula ejusdem lateris quoque, cancro affecta: tubera canceratica in hepate.
Alumnus.	22	Hernia scrotalis sinistri lateris. — Mors tertia die post operationem. (v. p. 171.)	Ansa incarcerata praerubra, inflammata, cetera vero intestina et peritoneum naturalia, sine rubore, et sine inflammatorio glutine.
Rustica.	24	Abscessus immensae molis, in regione ossis sacri et coxae, a necrosi ossis immominati, quinto mense post partum. (v. p. 175.)	Musculus iliacus et psoas pure absumpti; item, prorsus pure absumpti musculi glutעי, pectineus, quadratus femoris, obturatorii: ossa immominata et sacrum necrotica.
Famula.	22	Phlegmasia alba dolens. — Mors trigesima die post partum, duodecima ab ingressu. (v. p. 177.)	Saphena, femoralis, iliaca et venae omnes ad systema uterinum sinistri lateris pertinentes inflammatae, sanguine adhaerente obstructae; lobus inferior pulmonis dextri inflammatus.
Alumnus seminarii	10	Synovitis acutissima tarsi dextri. — Perit tertia die. (v. p. 241.)	Tota superficies articuli calcaneo-cuboidei, et astragalo-navicularis ruberrima, inflammatissima. Articulatio tibio-tarsus sanus. Vestigia arachnoididis.
Famulus.	50	Lithiasis vesicae urinariae. — Mors altera die ab ingressu (v. p. 181.)	Vesica continet calculum ponderis unciarum quinque, uricum, ovatum, a lateribus compressum, in superficie erosum, utrinque cum sulco longitudinali alto. Vesica crassissima, dura, cum duabus excrecentiis polyposis semipollicem longis, intus exulcerata. Ureteres amplissimi; renes, in viscus cavum, pure impletum degenerati.
Rusticus.	8	Calculus vesicae urinariae phosphaticus. — Mors die septima post sectionem lateralem. (v. p. 183.)	Calculus phosphaticus, sub extractione fractus: vesica contracta, indurata, peritoneum ei adhaerens substri coloris: textus cellulosus periprostaticus purulentus, rei dexter atrophicus, sinister cum minimis calculis uricis.
Rusticus.	2	Gangraena manus dextrae a contusione pollicis. — Mors altera die ab ingressu. (v. p. 251.)	Tota manus gangraenosa, digiti partim peritii, partim tendinibus nudis appensi: textus cellulosus et muscui in limite gangraenae insimul firmiter adglutinati; arteriae vaginae suis adhaerentes; venae sanguine praetumidae.



MORBI OCVLORVM.

Clinicum et Polyclinicum Ophthalmicum.

a 1-a die Augusti 1845, ad 1-am diem Junii 1846.

<p>Vulnera et contusiones 5</p> <p>Entropion 4</p> <p>Trichiasis 9</p> <p>Ectropion 3</p> <p>Blepharitis ciliaris. 10</p> <p>Meibomiamitis 17</p> <p>Hordeolum. 2</p> <p>Cystides palpebrarum. 3</p> <p>Dacryocystitis 4</p> <p>Conjunctivitis recens. 26</p> <p style="padding-left: 2em;">" mucosa 15</p> <p style="padding-left: 2em;">" pustularis 9</p> <p style="padding-left: 2em;">" impetiginosa 1</p> <p>Ophthalmoblennorrhœa infantum 13</p> <p style="padding-left: 2em;">" gonorrhœica 3</p> <p style="padding-left: 2em;">" adutorum 10</p> <p>Conjunctivitis chronica simplex. 8</p> <p style="padding-left: 2em;">" trachomatosa. 22</p> <p>Sclero-conjunctivitis 9</p> <p>Pterygium 19</p> <p>Polypus conjunctivæ 1</p> <p>Relaxatio sacciformis conjunctivæ. 1</p> <p>Papula aphthoides 8</p>	<p style="text-align: center;">=</p>	<p>Keratitis parenchymatosa. 13</p> <p style="padding-left: 2em;">" cum ulcere. 22</p> <p style="padding-left: 2em;">" pustularis. 7</p> <p style="padding-left: 2em;">" vasculosa 7</p> <p style="padding-left: 2em;">" a trachomate 6</p> <p>Staphyloma 14</p> <p>Adiaphanoses corneæ. 15</p> <p>Prolapsus iridis. 3</p> <p>Hernia corneæ. 2</p> <p>Cornea conica 1</p> <p>Scleritis 13</p> <p>Staphyloma scleroticæ 3</p> <p>Iritis 5</p> <p>Atresia pupillæ. 6</p> <p>Choroitis chronica 4</p> <p>Glaucoma 17</p> <p>Hemeralopia 3</p> <p>Amaurosis 23</p> <p>Cataractæ. 36</p> <p style="padding-left: 2em;">Cataracta capsularis centralis. . . 3</p> <p>Strabismus. 2</p> <p style="padding-left: 2em;">Mycrophthalmos cum colobomate iridis. 1</p> <p>Tabes oculi 39</p> <p>Nystagmus. 3</p>
		<p>Summa . . 450*</p>

* (Numerus allatus, exprimit numerum ægrotantium, non oculorum affectorum.)

LÆSIONES OCULORUM TRAUMATICÆ ET CORPORA ALIENA.



Quam graves in oculis vel vulneratis vel paulo gravius vexatis contingere soleant pathologicæ mutationes, luculenter ostenderunt exempla plura quæ nobis in Policlinico se obtulerunt: in quovis horum casuum videndi potentia perierat, suborta post oculi læsionem vel malacia, vel atrophia, vel cataracta, vel iritide, vel panophthalmitide lenta, etc. Præ cæteris notatu dignus est casus *ruptæ iridis* (*coloboma iridis*) sine læsione corneæ, — casus vulneris rapaci ab ave oculo illati, cui subsequuta est cataracta, — hæmophthalmus ab ictu cornu bovis. — Quoad corpora aliena oculo hærentia, casus tres minoris momenti adfuerunt, eo tantum forte adnotandi, quod ægri, a pluribus mensibus ophthalmiam circumferebant, quin illis morbi causa cognita fuerit.

Coloboma iridis traumaticum.—15 Sept: 1845. In juvene rustico fere vicenario, qui hebdomade abhinc equum verberando, extremo flagelli funiculo oculum dextrum forte vulneraverat, sequentes læsiones se obtulerunt. In *cantho palpebrarum* externo summa cutis plagam dimidii pollicis, in tempus excurrentem, refert; plagula quoque datur in ipsa conjunctiva commissuræ externæ.—*Conjunctiva* ocularis fere chemotica.—*Cornea* sine læsione.—*Iris* fissa est in directione canthi externi (*Coloboma traumaticum*) et corneæ accumbit, sublata camera anteriore.—*Capsula* lentis jam subopaca pupillam implet. (*Cucurbitæ, frictiones mercuriales, sulphas sodæ, fomentum ex belladonna et arnica*). Emansit.

Hæmophthalmus traumaticus.—18 Sept: 1845. Sutor 33 annorum, boni habitus, pridie quam accessisset subula oculum dextrum læsit, vulnere per imam corneam in cameram penetrante. Amissa protinus facultate videndi, doloribus afflictus, insequente die in Scholam se contulit. *Palpebra* superior tumida et rubre ecchymotica, inferior ab ecchymosi quidquam livescens.—*Conjunctiva* ocularis chemotica et ecchymotica adeo, ut fere extra palpebrarum rimam extuberet.—*Cornea* in parte inferiore vulnus lacerum, quodammodo triangulare, refert.—*Camera* anterior fere tota atro sanguine impleta: supremæ tantum iridis circumferentiæ particula visitur.—Dolores orbitæ et capitis vehementissimi (*Ve-*

næsectio ad HJ: sulphas sodæ: fomentum ex infuso arnicae et belladonæ).—19 Sept: Melius, dolores fracti, plus quam dimidia pars sanguinis in camera anteriore effusi absorpta: tumor conjunctivæ valde imminutus. (*fomentum ut supra*). —24 Sept: Oculi rubor longe dilutior: sclerotica trans conjunctivam magna ex parte apparet: nil fere sanguinis in camera anteriore: pupilla tota turbida. (*Fomenta ut supra, frictio mercurialis, sulphas sodæ*). —2 Octobris. In oculo videnda est lenta iritis; color iridis viridescens; pupilla contracta. — Facultas videndi prorsus extincta. (*ut supra*). Emansit.

Atrophia oculi dextri ab ictu.—18 Decem: 1845. Juvenis rusticus 20 annorum, tribus mensibus abhinc stylo ligneo oculum dextrum vehementer contudit, vel fortasse vulneravit. Nunc oculum *atrophicum* obtulit, mollem, in orbita sepultum, flaccidis palpebris contactum, scleroticam coloris impure flavescens, corneam nebulosam, complanatam: in segmento inferiore corneæ cicatrix visitur. Margo pupillæ inferior cicatrici adheret, ideoque pupilla deorsum tracta est. Capsula lentis rupta, laciniae in modum pupillam implet, et partim in cameram anteriorem propendet. —Nec lucem a tenebris distinguit.

Oculus dexter ab ave rapaci vulneratus: cataracta traumatica.—3 Januarii 1846.—Adolescens quin-

decim annorum, boni habitus, præterito vere, quum arborem ascendisset, et nido Bubonis (Hibou) jam jam manus impositurus esset ut avis prolem surriperet, bubo, qui haud procul natos suos custodiebat, impetu se in faciem protervi pueri nidum dissipantis coniecit, eique oculum dextrum vulneravit. Sanguis ex vulneratis palpebris multus manavit, palpebræ intumuerunt, phlogosis inde orta nonnisi post mensem se remisit; oculi autem læsi potentia periit. — Octavo mense a perpessa læsione, adolescentis ad nos adducti conditio hæc fere erat: *palpebra* tam superior quam inferior aliquot cicatrices offert, indicium veteris lacerationis — *Cornea* a latere interno cicatriculam gerit, cui particula marginis pupillæ adhæret, et pupilla illud in latus ideo attracta est. *Capsula* lentis tota opaca est, et una cum iride, partim leucomati adhæret. — Lucem a tenebris prompte distinguit. — Capsulæ extractio fieri potuisset; perstante vero potentia alterius oculi, parentes chirurgiam superfluum judicarunt.

Iridodialysis cum hæmophthalamo ab oculi contusione, cornu bovis illata. 5 Febr. 1846. — Rusticus 45 annorum. Quum heri penes boves esset, horum unus converso extemplo capite, adeo vehementer oculum dextrum hominis contudit, ut is humi prostratus aliquot momenta procubuerit: totam diem et noctem, tumentibus palpebris, inter acerbissimos tam

oculi quam capitis dolores, transegit. Hodie quum Scholam adiisset, sequentia obtulit.

Palpebræ parum tumidæ sunt, sed spasmò contractæ et lacrymis totæ humentes: *conjunctiva* ocularis chemotica et ecchymotica: tota *anterior camera atro sanguine* impleta. Ob dolores oculi et capitis homo gemit. (*Venæsectio, fomenta frigida ex infuso arnicæ et belladonnæ — sulphas sodæ.*)—10 Febr. Hodie iterum venit: (est enim suburbanus neque accipi in Clinicum potuit nullo lectulo vacuo.) *Conjunctiva* detumuit, sed *sclerotica* valde rubet: in camera anteriore nil fere amplius cruoris hæret. Nunc, divulgum fuisse ab orbiculo ciliari fere totum dimidium hemicyclum superius iridis, visitur. Dolores oculi et capitis gravissimi perstant. (*Cucurbitæ cruentæ in ambitu oculi et cervici, fomentum ut supra, sulphas sodæ.*) — 14 Martii. Hodie venit iterum. *Sclerotica* hucusque rubra præcipue in ora pericorneali, epiphora, dolor oculi et capitis hucusque gravissimus, cæcitas perfecta. *N: B:* nullum cataractæ vestigium. (*Venæsectio, cucurbitæ cruentæ, frictio mercurialis, fomentum ut supra, sulphas sodæ.*) Amplius non venit.

Ophthalmomalacia et atrophia ab ictu. 13 Aprilis 1846 — Rusticus annorum 35, antea sanus. Quatuor septimanis, abhinc quum ligna secaret, fragmen ligneum prosiliens, oculum dextrum hujus hominis vulneravit. — Ob cæcitatem quum nos adiisset, oculus in orbita erat

sepultus, totus integer quidem, sed mole imminutus, mollis: pupilla contracta, capsula lentis opaca: nulla lucis sensatio: lenta oculi phlogosis adhuc vigebat.

Iridodialysis cum cataracta et amaurosi ab ictu.—
6 Maii 1846. Miles emeritus 46 annorum, tribus annis abhinc, dextrum oculum baculo vehementer contudit, et videndi potentiam inde amisit: anno vero serius suborta ophthalmoblennorrhoea, oculum sinistram suppuratione perdidit.—In oculo dextro, qui scilicet ictum sustinuerat, iris in cantho externo divulsa est ab orbiculo ciliari, (*iridodialysis*)—magna cataracta cameram posteriorem implet, eique adhæret dimidia iridis pars, quæ in sede sua remanserat: oculus vix lucem a tenebris distinguit.—Oculus sinister tabidus est.

Cataracta traumatica cum synechia postica.—20 Maii 1846.—Rusticus 30 annorum. Annis quindecim abhinc, in ludo, emissa ab alio adolescentulo ex arcu sagitta arborea, dexterum oculum hujus hominis vulneravit.—In oculo quondam vulnerato hæret cataracta membranacea, aspera, hypertrophica: iris est pallidissima, fere tota opacæ capsulæ adglutinata: oculus lucem a tenebris distinguit, sed ægre.

Gluma milii a tribus mensibus oculo adhaerens.—
Famulus 28 annorum, dimidiam milii glumam, in conjunctiva prope internum oculi canthum immersam

gerebat: irritata et tumida membrana semilunaris corpus alienum fere contegebat. Corpus alienum assiduam oculi irritationem cum epiphora et chronica conjunctivitide sustinebat, quin æger mali causam unquam suspicatus esset.—Ejecta gluma, neque ullo collyrio adhibito, tribus diebus oculus prorsus restitutus est.

Corpusculum alienum oculo a duobus mensibus impactum.—Plebejus 25 an: a duobus mensibus vexabatur epiphora, rubore, et dolore oculi sinistri.—Sub oculi autopsia, parvum corpus alienum, fere punctum referens, circa externum canthum oculi deteximus: eo excusso, omnia symptomata cito disparuerunt, nullo adhibito remedio.

Fragmentum chalibis corneæ infixum.—Faber ferrarius, a duobus diebus fragmentum ferreum in media fere cornea impactum gerebat. Fragmentum excussimus adminiculo acus *Jacobianæ*:¹ hæc brevis est, valde in-

¹ Celeberrimus *Jacob*, Dublinensis, membranæ *Jacobianæ* detector, cataractas fere omnes keratonyxide curat. Hunc in finem acum adhibet, quam ipsemet ex promptu fere sibi conficere solet ex acu chalibea anglicana, quam manubriolo cylindrico ligneo optat, et extremam, in brevem arcum incurvat: acus quæ tantæ duritiei est, ut, dum inflectitur non frangatur, (multæ vero franguntur) ceteris opportunissima ei est: acum ita inflexam, supra cotem, in finem a lateribus complanatum, fere scalpri incisarii in modum, cæcit. —Auctorem vidi adminiculo hujus acus dexterrime lacerantem et deponentem cataractam magna ex parte uvæ adhaerentem.—Eam acum soleo adhibere ad excutienda corpora aliena corneæ impacta.

curva, et in finem, fere incisorii scalpri adinotar a lateribus complanatum, excurrit: hæc acus extrahendis corporibus oculo hærentibus, nobis prae ceteris acubus opportuna videtur.



MORBI ORGANORUM LACRYMALIUM.

Etsi chronicae conjunctivitides frequentissime hic locorum tam in rusticis quam in plebe occurrant, morbi tamen systematis lacrymalis raro se se offerunt, raroque contingit, ut singulis annis affectiones ad systema lacrymale spectantes, ultra tres quatuorve curatu obveniant. Hocce anno, inflammatio sacci lacrymalis acuta et jam purulenta, semel, inflammatio sacci chronica (dacryocystoblennorrhoea) ter vel quater præsto fuit: semel affectio sacci, a carie et necrosi ossium nasi pendebat; semel denique morbus a chronica inflammatione membranae Schneiderianae procedebat. ideoque huic præcipue parti, ex qua morbus ad systema oculare se se diffuderat, tota curatio directa est. — Externe frictio ex unguento plumbi iodati, interne kali hydrojodicum, chininum, interposito subinde purgante, apricatio, et recta victus vitaeque ratio, tandem hirudines ipsi membranae Schneiderianæ affixae, tactus hujus membranae cum solutione argenti nitrici, collyrium zinci, cupri, lapidis infernalis, sublimati corrosivi, unguentum præcipitati rubri, remedia esse solent, quae contra

dacryocystoblennorrhoeam saepius adhibemus. Ubi saccus jam purulentus incidi debeat, stylum plumbeum protinus in canalem, sine prævia ejus dilatatione, caute immittere solumus. En casus hic spectantes.

Dacryocystitis purulenta. 20 Octob. 1845. — Mulier quadragenaria, pistori inde a viginti annis nupta, a tribus diebus saccum lacrymalem in tumorem purulentum sublatum gerit, cum tumore erysipelaceo genae et palpebrarum. Ante duos menses eodem laboravit morbo, qui, rupto suapte tumore, sensim recessit. — Tumor cultello incisus est, et in canalem nasalem immissus est stylus plumbeus, quem post horas duas recepimus. Res tota successit sine labore, mulier vero perterrita, amplius non venit.

26 Novem: 1845. *Dacryocystitis chronica.* — Uxor militis quadragenaria, pinguis, a duobus mensibus cephalalgia, coryza, et epiphora laborabat. Quatuor abhinc diebus, internus canthus oculi dextri tumere cœpit cum dolore et ardore. Cutis regionis sacci lacrymalis œdematosa est, sine rubedine; rubent caruncula et membrana semilunaris. Ubi regio sacci comprimitur, dolores moventur, et mucus lacrymis commixtus ex punctis lacrymalibus abunde effluit: epiphora: conjunctiva palpebralis rubella, fere tomentosa, gramiosa. (*Sulphas sodæ. Octo hîrudines circa regionem saccitres, internæ nasi pinnæ. Vapores ex infuso specierum aromaticarum naribus excipiendi*). Emansit.

11 *Maii* 1846. *Dacryocystitis chronica*. Plebejus, habitus scrofulosi, 26 annorum, dudum laborat inflammatione chronica membranæ Scheiderianæ, quæ rubra et incrassata visitur. Inde ab uno mense epiphora oculi dextri et aliquo dolore circa nasi radicem vexatur. Sub compressione sacci lacrymalis multus mucus ex punctis lacrymalibus prorumpit. (*Præscriptio eadem ut supra, et interne Kali hydrojodicum.*)

13 *Augusti* 1845. *Dacryocystitis a necrosi ossium nasi*. In juvene undeviginti annos nato, elatæ staturæ, gracili et emaciato, sequentia deprehendimus. Canthus internus palpebrarum oculi sinistri livide tumebat, saccus lacrymalis medio loco erat ruptus, et ex ejus hiatu caruncula, magnitudinis nucis avellanæ, fere polypi adinstar, extabat: radix nasi et orbita valde dolebant, ex nare sinistra purulenta materia movebatur: tota conjunctiva rubra.

Ante duos menses, ut aeger retulit, latus faciei sinistrum, prope nasum et infra orbitam, praeunte dolore, mirum in modum intumuit: affixis tumori hirudinibus et superdatis cataplasmatibus, post hebdomadem tumor intus in nare ruptus est, cum abundissima materiei purulentæ effusione: materia per tres hebdomades abundissime promanare ex nare perrexit, et tumor aliquantum subsedit. Circa finem primi mensis novis ortis doloribus, saccus lacrymalis quoque ruptus est, et fere statim ex loco rupto excrescentia emersit.—*Prima die* curationis, ex nare sinistra magnam partem conchæ

mediæ necroticam volsella recepimus: ægrum autem, tam externe quam interne kali hydrojodico per quatuor menses curavimus. Sub usu remedii, tumor in regione sacci lacrymalis omnino subsedit, excrescentiæ nullum vestigium remansit, ossicula multa partim sponte secesserunt, partim volsella extracta sunt, functiones organorum lacrymalium prorsus restituebantur, totusque aegri habitus summopere mutabatur, plenior scilicet, firmior, et vegetior evasit. — Casus ostendit, quanta sit jodii potentia in restituenda et confirmanda labefactata corporis constitutione.



MORBI PALPEBRARUM.

Blepharitidis protopathicæ nullum exemplum præsto fuit: ad ipsas palpebras diffusam gravem phlogosin vidimus tantum in casibus ophthalmoblennorrhoeæ gravioris, et in casibus gravioris ophthalmitidis, post excisionem staphylomatis, et post infaustas cataractæ extractions, excitatæ.

Oedema palpebrarum ter quaterve obvenit: in quovis casu nullius momenti fuit, et a parvo furunculo, vel a parva pustula in supercilio nata procedebat.

Blepharitidis ciliaris decem casus, *glandulosæ Blepharitidis* casus septendecim habuimus: in duobus horum, non totam seriem glandularum Meibomii

malum occupabat, sed uni tantum Meibomianæ cryptæ inhærebat: hæc, tumidula erat, prærubra, et a compressione contra eam facta, ex ductu excretorio pus concretum, vel mucus, comedonis adinstar, exhibat. — Blepharitidis tam ciliaris quam glandulosæ eadem curatio fuit: præcipua scilicet præsidia fuerunt, intus chininum, jodium, externe tactus levis limbi palpebralis et glandularum Meibomii cum lapide infernali, unguentum præcipitati rubri diu adhibitum, prævia semper diligentissima ablutione mucii concreti, qui exulceratis palpebrarum marginibus adhærere, et cilia in fasciculos conglutinare solet. — In casu rebellis blepharitidis ciliaris, in quo chronica rubedine affectus erat margo externus palpebræ superioris, tincturam jodii margini palpebrali penicillo illivimus: hoc auxilium, sæpius et sæpius reiteratum, proficere visum est.

Entropion et trichiasis. Entropion frequentius inferiorem, rarius superiorem palpebram occupare, plerique auctores affirmant: hic locorum tamen sæpius in superiore, rarius in inferiore palpebra entropion occurrere, quotannis vidimus. — Entropii casus tres manu et cultro curavimus: in duobus, superiorem palpebram utriusque oculi, in tertio autem utrasque palpebras utriusque oculi vitium occupabat. — In quovis casu entropion erat vetustissimum, ab annis scilicet quatuor, decem, undecim jam oculos tenebat, et non a simplici laxitate cutis palpebrarum, sed a contractione et inflexione indurati tarsi procedebat. An vero contractio et

inflexio tarsi, a contractione musculi orbicularis esset repetenda, an a sclerosi tarsi ipsius, vix affirmare licuit.

Entropii curatio, quæ omnium opportunissima nobis semper visa est, est *tarsotomia longitudinalis seu horizontalis Ammoni* ¹. Tam pulchre et efficaciter scopo respondet curatio istiusmodi, ut eam in operibus nonnullorum auctorum silentio præteritam prorsus fuisse, equidem mirari subeat. Modus, quo chirurgiam hanc administrare solemus, hic est: Chirurgus spatham subter palpebram insinuat; — habenam cutaneam, parum supra marginem palpebræ, volsella prehendit, attrahit, forcibus excidit; — tarsum, ab altero ad alterum canthum, in distantia lineae sesquiunius a ciliis, cultello findit, ita, ut palpebrae limbus tantum circa externum et internum canthum (illaeso puncto lacrymali) adhæreat; — recepta spatha, hamulum subter palpebram demittit, quo imam vulneris tarsi oram arripit, et *extrorsum ex rima palpebrali* protrahit; — per illam oram, tenue stamen, vel stamina duo acu transmittit, et utrumque staminis finem, temperate attractum, vel fronti, vel genæ, linteo adæsivo adglutinat, prouti chirurgia in superiore, vel in inferiore palpebra fiat. — Palpebra inferior supra spatham persecari vix potest; ea igitur prehensis ciliis attrahi, ab oculo removeri, et ancipiti keratotomo, punctim infixio, findi debet: id autem,

¹ Zeitschrift für die Ophthalmologie. 3-ter Band, p. 248.

etiam in palpebra superiore fieri potest. (*Ammon*). — Tertia die stamina, quibus sursum palpebra tracta fuerat, jam recipi debent; vulnus enim externum plerumque conglutinatum jam est; internum suppurat, et post aliquot dies cicatricem induit.

Per hanc chirurgiam, margo palpebrae, qui prius introrsum erat inflexus, extrorsum vertitur, ita ut, ex entropio fere ectropium nascatur; nullum inde cilium oculum amplius offendit, et palpebra tamen naturalem limbum servat. Externum vulnus ita plerumque concrevit, ut adhibiti cultri saepius omnino nullum supersit vestigium; ex interno vulnere vero, prius quam exaeretur et cicatricem recipiat, carunculam excrescere, aliquoties vidi. — Ut totus margo palpebrae extrorsum vertatur, plerumque stamina duo, subinde tria stamina, aequa a canthis distantia, transjicere oportet. — *Ammon* vulnus externum suturis committit.

Trichiasin, cujus novem casus obvenerunt, eadem hac chirurgia curavimus. — In uno casu, quum trichiasis partem tantum palpebrae superioris occuparet, *tarsotomia*, tantum contra locum adfectum, facta est.

Entropium palpebrae superioris utriusque oculi. —

Tarsotomia Ammoni. — *Sanatio.*

Clerici uxor 23 annorum, unius prolis mater, gracilis, habitus lymphatici. In pueritia tumentes habuit

colli glandulas. quae abscederunt, testibus cicatricibus. A decem annis oculis laborat. Margo palpebrae superioris utriusque oculi totus introrsum inflexus est ita, ut una cum ciliis, inter palpebram et bulbum, totus sit absconditus.— Oculi semper gramiosi, lacrymosi, dolentes; conjunctiva scleroticæ et corneae varicosa; cornea nebulosa; visus valde corruptus, imo, in oculo dextro fere deletus, hocce enim oculo femina hominem vix distinguit.

Chirurgia suscepta est 3^{tia} Maii ann: 1846. Habena cutis supra marginem palpebrae, volsellæ ope apprehensa, ab altero ad alterum canthum, excisa est,—supra spatulam *Jügeri* tota spissitudo palpebrae, duabus circiter lineis a limbo, persecta est, illæsa tantum in utroque cantho particula linearum fere duarum. Sectus ita secundum longitudinem visebatur tarsus, duas oras offerens, alteram inferne, superne alteram. Per oram fissi tarsi inferiorem, stamina duo, æqua a canthis distantia, transjecta sunt; singulum stamen *ex palpebrarum rima* protractum est, fronti adglutinatum est, eoque palpebrae margo extrorsum coactum est. Nullum fomentum, oculi tantum umbraculo protecti.

Tertia die post hanc chirurgiam, per quam, ut ita dicam, ex *entropio ectropion* factum fuerat, stamina illa duo, quae per oram vulneris tarso illati fuerant transmissa, recepta sunt; externum palpebrae vulnus apprime erat conglutinatum; vulnus internum (conjun-

ctivae et tarsi) suppurabat: entropium vero prorsus erat sublatum, neque ullum cilium oculum offendebat. Internum vulnus intra duodecim dies firmam cicatricem concepit: sed ex interna palpebra dextra, prius quam interno vulneri inducta esset cicatrix, circa canthum externum caruncula excrevit: haec oculum divexans, excisa est, tacto dein eo loco lapide infernali.

*Entropion palpebrae superioris utriusque oculi. —
Tarsotomia Ammoni.*

Rustica 32 annorum, habitus torosi, a quatuor annis *entropio* maximi gradus, in palpebra superiore utriusque oculi laborat: — cornea tota dendritica et nebulosa. — Huic feminae quoque, chirurgia eodem modo facta est ac in casu praecedente: fere protinus nempe supra limbum palpebrae affectae, excisa habena cutanea est, — tarsus eadem directione supra spatham fissus est, — ex ora inferiore vulneris tarsi, stamen transmissum est, quod, ex palpebrarum rima traductum, fronti adglutinatum est. — Eversio marginis palpebrae apprime successit: femina discessit septima die a chirurgia, absque vestigio pristini palpebrarum morbi.



MORBI CONJUNCTIVÆ.

Conjunctivitis recens simplex. — *Conjunctivitis mucosa seu catarrhalis.* — *Sclero-conjunctivitis.* — *Conjunctivitis phlyctenularis,* — *pustularis.* — *Ophthalmoblenorrhoea.* — *Conjunctivitis chronica, seu ophthalmia externa chronica.* — *Pterygium.* — *Polypus conjunctivæ.* — *Relaxatio sacciformis conjunctivæ.*

Ad conjunctivitidem recentem, maxime profuit crystallo cuprea internas palpebras raptim tangere: hoc auxilium, et mirae efficacitatis, et in praxi policlinica quammaxime commodum se praebuit: nullius enim pretii est, eoque adhibito, pauperibus vel rudibus aegris opus haud est, vel collyria domi sibi oculis instillare, vel unguentis uti, quod ab hocce hominum genere vix unquam debito modo fieri potest. — In conjunctivitide recentissima et miti, conjunctiva semel vel bis cupro sulphurico tacta, a phlogosi vindicari consuevit: in conjunctivitide vero paulo graviori, reiterari aliquoties tactus debuit, aliquando etiam circa orbitam hirudines admovere necesse fuit: hirudines autem vel cucurbitas scarificatas semper manifestissime profuisse, nobis visum est ¹.

¹ Ich kenne kein Organ, dessen Entzündung nach dem Gebrauch der Blutigel einen so argen Grad der Hartäckigkeit und Bösartigkeit annimmt, als wie das Auge Est ist hier gleichviel, ob nur

In conjunctivite *mucosa seu catarrhali*, in adenoconjunctivite scilicet, in qua cryptæ mucosæ quoque patiuntur, lapis infernalis raptim et levissime internis palpebris admotus, fere specificum, ut dicunt, remedium se præbuit. Hoc tantum auxilio, addito subinde interno usu sulphatis sodæ, mucosas conjunctivites in *quocumque stadio fuissent*, ut plurimum curavimus, sine ullo aegrorum vel dispendio, vel, in admoventis domi remediis, negotio. Aegri sæpe, quum semel tacti fuissent, ultro se in Scholam, ad morbi finem usque, ut tactus reiteraretur offerebant, sæpiusque nos ad reiterandum eum præcibus adigebant.

wenige oder sehr viele Blutigel angesetzt worden sind, der nachtheilige Erfolg bleibt unter allen Umständen derselbe. . . . Kurz, es scheint keine einzige Form der Augenentzündung zu existiren, in welcher wir nicht nach dem Blutigelsetzen nachtheilige Folgen beobachten, etc: *Benedict, Klinische Beiträge. Breslau 1837, p. 44.*

Simul ac *Benedict* usum hirudinum in praxi ophthalmica semper noxium declaravit, et prope singulari vehementia eum improbat, totam attentionem nostram publice in schola, caste, constanter, et quodammodo solemniter iis casibus ophthalmiarum direximus, quibus hirudinibus subventum est: illorum casuum peculiarem in adversariis clinicis adnotationem fecimus, exacte inscriptis mutationibus, quas ab hirudinibus morbus subierat. Harum observationum ab anno 1837 ad hoc usque tempus, prope millenas collectas habemus, nobisque *certissimum* est, hirudines prope oculum admotas, in recentibus præcipue ophthalmiis, et sæpe in chronicis quoque, esse remedium *incomparabile*, frequenter *mirificæ* prope virtutis.—Loco hirudinum, minoris sumptus causa, cucurbitas scarefactas tempori, genæ, collo, cervici affligere, in praxi clinica solemus.

Ubi una cum conjunctiva, scleroticam quoque inflammatio tenebat, (*ophth: rheumatico-catarrhalis Auct:*) hirudines necessariae fuerunt, easque semper *manifestissime* proficere vidimus. Sub usu argenti nitrici scilicet, affectio *conjunctivæ* ut plurimum recedere solebat, affectio *scleroticæ* vero perstabat, nec nisi admotis hirudinibus cedebat.

Tam frequenter autem, tamque conspicue, tum crystallus argenti nitrici, tum crystallus cuprea in centenis casibus *externæ* oculorum phlogosis profuerunt, ut his tantum auxiliis, medicos majorem externarum, quas dicunt, ophthalmiarum numerum curare posse, equidem credendum sit. Quum vero hujuscemodi auxilia, ubi fortasse vel intemperate, vel ruditer, vel inconsiderate adhibeantur, acerbos dolores moveant, illis scite et suspensa manu, maxime in praxi privata, uti necesse est, habita cura imprimis, ut crystallus infernalis corneam non attingat: aliter procedendo, evenire utique posset id quod *Hoffmannus*¹ pulchre monuit: «*ausim dicere, «plures visu privari ex imperitia applicandi topica, «quam ex ipsa morbi vi ac magnitudine»*. — Oculum abluere, post tactum *rapidissimum* conjunctivæ palpebralis cum lapide infernali, superfluum duximus.

In *conjunctivitide scrofulosa* cum blepharospasmo, sive phlyctaena adfuisset, sive corneae conjunctiva fuisset exulcerata, nil magis quam tartarus

¹ Dissertatio de erroribus vulgaribus circa usum topicorum in praxi §. 7.

stibiatus profuit. Statim ac pueruli nobis afferebantur cum blepharospasmo, tartari stibiati dosim unam, (gr j) ad ciendum vomitum praescribere suevimus. Contigit, saepe videre, post unam alteramve remedii dosim, blepharospasnum valde imminutum iri. Non raro per dies quatuor et ultra, aegris nullum aliud remedium porreximus quam vomitorium, et valde frequentius cum successu, quam sine fructu. Nos quoque igitur, cum experientissimo illo auctore *Mackenzie*, qui hanc curationem proposuit, affirmare debemus, nullum dari in tota materia medica remedium, quod in ophthalmia scrofulosa tantum possit, quantum tartarus stibiatus potest¹. In ophthalmia scrofulosa autem, maximum curationis momentum, in usu remediorum interno et in recta victus et vitae ratione, posuimus. Remedia, quae corrigendae scrofulosae diathesi ut plurimum adhibebamus, fuerunt, chininum sulphuricum, baryta muriatica, et kali hydrojodicum, interjecto semel in hebdomade purgante ex calomelano.

Ophthalmoblennorrhoeae.

Frequentius pessimas ophthalmoblennorrhoeae sequelas videndi, quam ophthalmoblennorrhoeas ipsas cu-

¹ There is perhaps no remedy in the whole materia medica which possesses equal powers of a *sedative* kind in this disease. *Mackenzie, a practical treatise of the disease of the eye. Second edition. London 1835, p. 459.*

randi, occasio adfuit: aegri enim ut plurimum, oculis leucomate jam obcaecatis, post ruptam scilicet corneam, vel prorsus pure absumptam, in Scholam se conferre consueverant.—In ophthalmoblennorrhœa, tam recenti quam confirmata, *cujuscunque fuerit naturae*, sive scilicet recens natorum fuerit, sive gonorrhœica, sive bellica, sive spontanea, eadem fere fuit curatio. In omnibus scilicet casibus, praecipua et unica fere remedia, fuerunt, lapis infernalis, — conjunctivae chemo-ticae secundum oculi axim (radiata) excisio, — hirudines, vel cucurbitae scarefactae in ambitu oculi, — eccoprotica. In ophthalmoblennorrhœa neonatorum, ab excisione conjunctivae plerumque abstinuimus; in omnibus casibus vero operam dedimus, ut oculi mundities quanta maxima servaretur: hunc in finem, quavis hora, vel simplicem aquam egelidam, vel solutionem tenuiorem sulphatis zinci aut lapidis infernalis, subter palpebras syphunculi ope affatim injicere, suevimus. His auxiliis, corneae suppurationem antevertere, et morbum sine visus jactura solvere datum fuit quotiescumque aegri in tempore accessissent, prius scilicet quam cornea pati incepisset, sed naturalem adhuc habitum prae se tulisset. *Venaesectionem* ad coercendam ophthalmoblennorrhœam, vix unquam revera profuisse vidimus; eam igitur, vel prorsus non adhibere, vel tantum semel instituere, vix unquam reiterare, suevimus.

Ophthalmia seu Conjunctivitis externa chronica.

Recentem, a chronica conjunctivite distinguere et seorsim considerare, (*Scarpa.*) necesse esse videtur; quam facilis enim est recentis conjunctivitis curatio, tam ardua chronicae ophthalmiae externae curatio est. In chronica externa ophthalmia, necesse insuper esse videtur, tres distinctas fere oculi conditiones seorsim considerare. Nam, vel conjunctiva, tantum chronica phlogosi afficitur, — vel jam degenerata et hyperthrophica est conjunctivae structura, — vel tandem ipsa quoque conjunctiva quae corneae instrata est, affecta est. Hos autem casus distinguere, magis ad prognosin quam ad curationem facit: nam in singulo illorum, curatio parum differt; prognosis vero gravior est, ubi jam degenerata sit conjunctiva, et pejor adhuc, ubi jam ad corneae conjunctivam morbus processerit. In conjunctivite chronica simplici, quae ad primam, ut ita dicam, seriem pertinet, reiteratus conjunctivae tactus ope crystalli cupreae, collyria zinci, vel sublimati corrosivi, et unguentum ophthalmicum rubrum, remedia fuerunt quae adhibuimus. Interne vero, alternis diebus granum unum vel alterum aloës aegris plerumque exhibuimus, et hirudines identidem quam proxime oculum admovimus. — Contra conjunctividem cum membranae adnatae hypertrophica degeneratione, contra conjunctividem scilicet trachomatosa (*conjunctivae granulationes, aspritudo palpebrarum, palpebra ficsa,*

ecchinophthalmia) remedium quod experti sumus, fuit causticum illud, quod contra cancrum cutaneum, his temporibus frequenter cum profectu adhibetur, *zincum* scilicet *muriaticum*. Concentratissima hujus remedii solutio, penicillo excepta, eversae superiori palpebrae admovere affatim suevimus, cura adhibita, ne solutio oculum attingeret: hunc in finem, admoto jam remedio, et brevibus interpositis induciis ut altius penetraret, conjunctivam penicillo, simplici aqua madente, abluimus. Hoc remedium jam saepius adhibuimus, illudque ab oculo semper sine noxa perferri vidimus. Conjunctivae aspritudines, dum solutione zinci tanguntur, nonnihil albescunt, a reiterato tactu exaequantur, tandem fatiscere videntur. An vero remedium hoc, lapidi infernali sit præferendum nondum affirmare ausim, nam hujuscemodi curationes, etsi frequentissime nobis occurrant, tamen raro contingit ut ad finem eas perducere nobis sit datum, ægris plerumque, vix emendato malo, amplius non accedentibus: chronicas autem ophthalmias, maxime illas cum aspritudine, primo remediorum attactu emendari solere, paulo post vero incredibili pertinacia quibuscunque auxiliis non auscultare, notum est: hos igitur aegrotantes inter *sanatos* recensere nolimus, ne curationi magis tribuere videremur quam revera ei esset tribuendum ¹.

¹ Sunt Professores, qui in rationariis Clinicis, aegrotantes post inceptam curationem emanentes, *sanatos* declarandos esse contendunt. *Kranichfeld, Conspectus publicus morborum ophthalmicorum in Instituto policlinico Universitatis Fridericæ Guilelmæ. Berolini MDCCLXXII.*

Eadem omnino fuit curatio casuum ecchinophthalmiæ cum degeneratione conjunctivæ corneæ, cum ejus nempe phlebectasia. Casus in quibus *dimidia* tantum *summa pars corneæ*, quæ scilicet a superiori palpebra contegitur, affecta se ostendebat, frequentissimi fuerunt. Curatio omnibus his in casibus, non corneæ opposita est, sed conjunctivæ, cujus aspritudinem, *versis* quotidie palpebris, et lapide infernali, vel cupro sulphurico, vel zinco muriatico aggressis, exæquare allaboravimus.

Chronicae vero conjunctivitides palpebrales, plerumque cum aspritudine vel muciflua, vel arida, vel conferta, vel discreta, adeo sunt hic locorum frequentes, ut in villicis et in plebe, occulta quaedam conjunctivæ palpebrae superioris succensio reperiri plerumque soleat: inde etiam est, quod in omnibus fere oculorum morbis qui nobis quotidie obveniunt, diligentem *internarum* palpebrarum investigationem, iis *versis*, suscipere soleamus. — Hujusmodi palpebrarum, (maxime superioris) eversio in ophthalmoscopia, est

« *Aegrotantes, quibus policlinice medendum, curam rarius ad finem*
 « *usque — e quibus rationibus haud difficile est intellectu — sustinent;*
 « *malo potius quodammodo emendato negligunt eam, atque sanitate*
 « *feliciter restituta medicis observantibus non amplius se offerunt.*
 « *Hanc ob causam magna pars eorum, qui recesserunt, consideranda*
 « *est, ut experientia assidua docet, sanata.* — Ego huic sententiæ assenti-
 « *tiri haud possum, et sanatos eos tantum ægros declaravi, qui, nobis*
 « *testibus, sanationem receperunt.*

maximi momenti et summopere necessaria: eam, ad novissima fere usque tempora, medici ocularii negligere consueverunt, quamquam antiquissimis medicinae temporibus in usu fuerit, teste *Celso* «*Nonnunquam etiam ex aspritudine lippitudo fit; ipsam deinde aspritudinem auget, fitque ea in aliis brevis, in aliis longa, et quae vix unquam finiatur. In hoc genere valetudinis quidam crassas, durasque palpebras, et ficulneo folio, et asperato specillo, et interdum scalpello eradunt; versasque quotidie medicamentis suffricant.*—*Celsus liber VI.*

Papula aphthoides.—*Papula aphthoides* octies occurrebat, plerumque in adolescentibus qui nondum vigesimum annum excesserant: malum in ora sclero-corneali a latere temporis in omnibus casibus haerebat, parum admodum doloris movebat, et sine photophobia erat: subinde papula colliculo mirum in modum eminenti insidebat.— In quovis casu malum recessit tacta quotidie vel alternis diebus papula lapide infernali.


Pterygia.—*Pterygia* fere omnia tenuia fuerunt, corneae marginem vix scandebant, inde a longo tempore nullum progressum faciebant: in omnibus igitur his casibus, ab opera cultri abstinuimus, tantum unguentum praecipitati rubri et pilulas aloeticas identidem sumendas praescripsimus.— Adfuit vero femina quaedam rustica, annos supra quadraginta nata, quae non commune exemplum obtulit duplicis in utroque oculo ptery-

gii. Pterygia in utroque oculo erant crassiuscula, et ex utroque oculi cantlio procedentia, in media cornea se se jam jam invicem fere attingebat, valdopere infirmata videndi facultate. — Pterygia volsellae ope apprehensa, attracta, a canthis ad corneam cultello excidimus: in quovis oculo, prius unum, serius aliud pterygium extirpavimus, ne nimia oculi pars a simultanea utriusque pterygii extirpatione, nuda remaneret. Loca corneae quibus pterygia succreverant, finita suppuratione, quidquam magis pellucida facta sunt; multum vero abfuit ut naturalem pelluciditatem reciperent. Extenuandae superstiti opacitati, unguentum praecipitati rubri, domi diu adhibendum, aegrae dedimus.

Relaxatio sacciformis conjunctivæ oculi sinistri.
 Plebejo fere quinquagenario urbis Bogodukoff, conjunctiva oculi sinistri adeo erat relaxata, ut ex summa oculi parte, ante oculum quodammodo laciniatim penderet, et totam corneam absconderet. Panni relaxatae et dependentis conjunctivae, erant coloris obsoleti, ex rubro-livescentis, molles, et sparsae in illis visebantur flavae maculae, quasi ab infarctis cryptis textui submucoso inhaerentibus. Cornea et omnes ceterae tam externae quam internae oculi partes naturaliter habebant, et videndi potentia apprime vigebat. — Secundum aegri narrationem, morbus a diebus quindecim nulla manifesta occasione nulloque incommodo ortum duxerat, et bidui spatio eum gradum adeptus

fuerat, in quo nunc versabatur. — Propendentes relaxatae conjunctivae pannos in corneæ ambitu circumcidimus, et infusum chamomillae pro fomento praescripsimus: vix duabus hebdomadibus elapsis, nullum fere pristini morbi vestigium supererat. — Similem casum nunquam mihi videre contigit: morbus sine dolore fuit, sine gramiis, fereque sine incommodo praeter coecitatem, a dependente conjunctiva, mechanico modo inductam.

Polypus conjunctivae. — Centurioni emerito, ex media interna inferiore palpebra oculi dextri polypus assurgebat, qui, ex brevi pediculo in capitulum latescebat membranaceum, mucosum, molle, coloris ex livido rubri. Polypus modo in sinu palpebrae totus erat absconditus, modo particula ejus inter bulbum et palpebrae marginem apparebat, mole sua oculum vexabat, et frequentes conjunctivitides suscitabat. — Polypum volsella arreptum evellimus, et locum tarsi duriusculum et præ-rubrum ex quo polypus assurgebat, lapide infernali aliquoties ambussimus, donec aequalis et pallida ei inducta fuisset cicatrix. — Omnes conjunctivae polypos quos hucusque vidi, magnam prae se ferebant similitudinem cum polypis ani apud infantes et pueros non infrequenter occurrentibus: ex pediculo scilicet plus minus longo, protinus in capitulum latescebant quodammodo complanatum, compressum, adinstar capituli clavi communis.



Historiæ ad morbos conjunctivæ pertinentes.

25 Maii. *Conjunctivitis pustularis.* Puer 13 annorum: cutis tenera, pallida, comæ flavescentes, irides cæruleæ, colli ganglia nonnihil nodosa. In oculo sinistro a latere temporis, in margine sclero-corneali parva adest pustula: in ambitu pustulæ, venæ scleroticæ conspicue tument, conjunctivæ vasa in pustulam congesta sunt, reliquum oculi sine rubedine, sed interna palpebra superior utriusque oculi asperula est, antiquo, ut videtur, morbo: tribus abhinc annis ophthalmia laboravit: photophobia mediocris, sed pungens oculi dolor. (*Pustulam tetigimus lapide infernali*).

26 Maii. Summa pustula heri lapide infernali tacta, hodie eschara oblecta est: melius habere æger ait: rubor circa pustulam valde imminutus. (*Plagam conjunctivæ rubram lapide cupreo tetigimus*).

28 Maii. Insignis, incredibilis fere emendatio: remanent tantum reliquiæ nonnullæ morbi pristini. (*Locus ruber iterum cupro tactus est*).

29 Maii. In sede pristinæ pustulæ, nonnullæ venæ adhuc visuntur jam jam recedentes.—Ad tollendam aspritudinem, per mensem tacta est interna superior palpebra alternis diebus crystallo cuprea.

Blepharospasmus scrophulosus post variolas.

20 Maii. Puellam trimam variolæ veræ novissime occuparunt, eamque vix convalescentem ophthalmia adorta est, quæ exorcismis, quibus pro more plebejorum nostratium aggressa fuerat, non auscultavit. Oculis ab uno jam mense semper clausis jacebat ægra, palmis oculos comprimebat, prona semper cubabat, palpebras lacrymis humentes, graniosas habebat, easque spasmus tam vehemens occupabat, ut, vel magna vi adhibita, diduci haud possent, et bulbum inspectioni subducerent.—Huic, prima die granum tartari stibiati ex uncia aquæ dedimus, et subsequente mane, longe melius jam habebat, palpebras aliquantum diducebat. Tartarus stibiatus iterum porrectus est, et tertia die mane, oculis jam fere prorsus apertis ægra ad nos allata est: conjunctivam nonnihil rubentem raptim crystallo cuprea tetigimus. Restituta est, nullo alio dein adhibito remedio, præter assiduam apricationem.

Blepharospasmus post variolas.

22 Aprilis. Puerum quinquennem variolæ veræ hebdomadibus quinque abhinc invaserant, earumque vestigia recentia, in toto maculato corpore visuntur. Post hebdomaden ab invasione mali, oculi laborare cœperunt, eosque ab illo tempore puer non amplius aperuit. — Blepharospasmus vehemens, palpebræ graniosæ, lacrymis totæ humentes: conjunctiva palpebrarum tumidula, rubella quoque conjunctiva ocularis; cornea utriusque oculi sparsim et tenuiter nebulosa, cum primis media parte: a blepharospasmo fere introrsum versæ sunt palpebræ. (*Conjunctiva raptim tacta est crystallo cuprea. Calom: gr: jj. Apricatio*).

23 Aprilis. Quidquam melius, palpebras quidquam, sed brevi admodum puer aperire posse videtur. (*Tactus crystallo cuprea reiteratus est*).

25 Aprilis. Vix melius, non pejus tamen. (*Habeat quotidie vespere granum unum tartari stibiati ex uncia aquæ*).

29 Aprilis. Stibium ter sumpsit. Photophobia prorsus nulla, bulbi sine rubedine, nulla succensio, nullusque morbosus sensus: remanet a prægressa ophthalmia, aliqua levis corneæ nebulositas. (*Apricatio*).

7 Maii. His diebus bene se habuit, neque in morbum relapsus est.

Conjunctivitis mucosa gravis.

2 Maii 1846. Puer undecim annorum, studiis deditus, ab oculis laborat a quatuor diebus. Cutis palpebræ superioris tumida jam est et livida; conjunctiva palpebralis tota tomentosa, byssum fere, coloris ex livido-rubri referens; conjunctiva oculi tota, sed minus a lateribus diametri transversi, qua parte palpebræ apertæ bulbo non accumbunt, crassi et spissi retis adinstar, sanguine injecta est; parum lacrymarum, sed multum muci; cornea et internæ oculi partes hucusque illæsæ: oculorum dolor gravis, subinde pungens, pruriens: visus quidquam corruptus. Oculus dexter gravius laborat quam sinister. (*Conjunctiva palpebralis utriusque oculi rapidissime tacta est lapide infernali. Sulphas sodæ*).

3 Maii. Conspicue melius: palpebræ detumuerunt, rubor conjunctivæ ocularis multo dilutior, nox longe tranquillior fuit, oculi dolor valde imminutus, palpebræ hodie mane minus graniosæ quam heri ante

tactum. (*Internæ palpebræ raptim, sed large, lapide infernali iterum tactæ sunt*).

5 Maii. Mutatio prorsus mirifica et fere incredibilis: bulbus, tam dexter quam sinister, sine rubedine, tumor et livor palpebrarum prorsus deleti: rubedo tantum remanet in sinu conjunctivæ, qua parte membrana adnata, ex palpebra ad oculum fertur.—(*Sinus raptim tangebatur lapide infernali*).

7 Maii. Oculi album sine rubedine, fere prorsus restitutus puer est. (*Absque remidiis*).

10 Maii. Aliqua conjunctivæ rubedo sinum palpebrarum adhuc tenet. (*Instillet vespere collyrium zinci ex granis tribus*).

Amplius non venit.

Ophthalmia externa chronica.

5 Aprilis. Rustica 43 an: a tribus annis fere cæca: incomitata incedere nequit, sed conducta accessit.—*Ophthalmia chronica externa cum hypertrophia trachomatosa conjunctivæ palpebralis, et incipiente ectropio palpebræ inferioris utriusque oculi.*—*Conjunctiva corneæ oculi utriusque varicosa est, et fere pannum refert. In oculo sinistro adest quoque pterygium, cujus apex jam in mediam usque corneam se exporrigit: camera hujus oculi plenior est, indeque cornea angustior est, sed extantior.*

5, 6, 7 Aprilis. Interna superior palpebra utriusque oculi, quotidie versa, tacta est solutione concentratissima muriatis zinci. (*Sulphas sodæ*).

8 Aprilis. A tactu, palpebræ œdematosæ.

9 Aprilis. Tactus reiteratus est.

11 Aprilis. Palpebræ internæ inferiores tactæ sunt vehementer crystallo cuprea.

13 Aprilis. Ab adhibita per hos dies curatione melius: oculi longe minus gramiosi et minus lacrymosi, oculi rubor longe dilutior: ægra, curatione contenta est; melius dicit habere a cupro sulphurico quam a zinco muriatico: caput quoque, quod cum oculis semper ei dolebat, minus dolet.

15 Aprilis. Tacta iterum est sulphate cupri.

16 Aprilis. Melius, ectropion fere penitus disparuit, repressa villositate palpebræ inferioris: nullus dolor, nullæ gramix, rubedo oculorum

magis magisque fatiscens. (*Superior et inferior interna palpebra tacta est vehementer sulphate cupri*).

17 Aprilis. Conspicue melius: phlogosis chronica conspicue recedit, nulla fere morbosa oculorum molestia, nullæ lacrymæ. (*Sulph: cupri*).

18 Aprilis. Sibi gratulatur, melius cernere ait. (*Sulphas cupri*).

19, 20, 21, 24 Aprilis. Quotidie tacta est cupro: melius sic habet ut hodie sinistro quoque oculo distincte numerare digitos potuerit.

25, 26, 27, 28, 29, 30 Aprilis. Quotidie tacta est: semper melius.

3 Maii. Pterygium sinistri oculi excisum est.

4 Maii. Ab excisione pterygii, nulla oculi succensio, aliquis oculi dolor.

6 Maii. Vulnus conjunctivæ detergitur, et pus moveri incipit: aliqua oculi vulnerati succensio.

10 Maii. Vulnus conjunctivæ ad cicatricem spectat.

15 Maii. Vestigia vulneris conjunctivæ vix deprehenduntur: bulbi valde minus rubri, corneæ clariores, sed semper cum venis: conjunctiva palpebræ superioris, repressa, æquabilior, sed incrassata et inæqualis.

Amplius non venit. — Per totam curationem usa est alternis diebus pilula aloetica ex gr: duobus. — Postremis diebus incomitata nos adierat.

MORBI CORNEÆ.

Prope centum fuerunt ægri, qui cum adfecta, vel staphylomate, vel tabe, vel opacitate, vel ulcere, vel multimodis inflammationis speciebus, cornea, obven-
runt: apud majorem horum ægrorum numerum utra-
que corneâ erat affecta, ideoque, corneæ affectiones,
quas in Schola considerare potuimus, ultra 150 fuerunt.

Staphylomata.

Dubios hucusque hæerere medicos oculos circa veram staphylomatis originem, et genuinam ejus patho-

logicam conditionem, notum est. Id, nisi fallor, eo tribuendum est, quod medicis rarissime contingat, nascentia, ut ita dicam, staphylomata videre, plerumque enim staphylomata jam nata et adulta, nobis obveniunt. Paucis post mensibus quam *Warton Jones* suas de pathologia staphylomatis observationes publici juris fecerat, et ostendere allaboraverat, *staphyloma non sistere corneæ degenerationem, sed cicatricem esse protrusæ post corneam absumptam iridis*,¹ casus in Schola se nobis obtulit, qui, mox memorati auctoris opinionem apprime confirmavit, ideoque, ab illo inde tempore, veterem staphylomatis theoriam deserere, et novam amplecti debuimus. Casus sic fere est:

5 Maii 1838. Servus urbanus, 25 annorum, boni habitus, quadraginta circiter abhinc diebus urethritidem virulentam contraxerat. Ingestis remediis quibusdam, quae a profanis acceperat, omnia urethritidis signa, post hebdomadas duas recesserunt, et per septem deinceps dies omnino restitutus sibi visus est. Hebdomade vero vix præterlapsa, repente oculus dexter rubuit, magnopere doluit, intumuit, gravissimus quoque dolor orbitam et caput affecti lateris occupavit, et postmodum ex tumente oculo uberrima materiae puriformis copia dimanavit. Nullo adhibito remedio, circa vigesimam diem ab invasione ophthalmiæ, æger oculo jam prorsus obcaecato in Scholam se contulit, ut in Polyclinico curationem susciperet. (In Clinica stativa accipi noluit). —

¹ The tissue composing a staphyloma is not degenerated and opaque cornea, but a *neu tissue*, of the nature of the tissue of cicatrice, developed on the anterior surface of the iris exposed by the destruction of the cornea itself. *Some observations on the pathology of staphyloma by Warton Jones. London Medical Gazette. February 1838 p. 850.*

Oculus affectus, blepharophthalmoblennorrhoea gravissima, ad chronicitatem jam spectante, laborabat: palpebræ adhuc rubræ et tumentes erant, sed a recedente tumore flaccidæ; conjunctiva ocularis chemotica; cornea tota erat albi coloris, purulenta, mollita, magnam partem exesa, quin tamen promineret; mucii puriformis proventus abundus. — Etsi actum de facultate videndi jam esset, extinguendæ tamen phlogosi, ægro collyrium datum est ex scrupulo lapidis infernalis in uncia aquæ, mane et vespere instillandum. — Per integrum mensem Scholam æger non visitavit, sed collyrium domi diligenter adhibuit: exeunte autem mense, quum iterum Scholam adiisset, palpebræ ei erant fere naturales, sine conjunctivæ aspritudine, tantum quidquam flaccidiores; — chemosis prorsus recesserat; *corneae* vero, nullum amplius aderat vestigium, sed in sede ejus, *iris nuda*, tumentis et ubique continui sacci adinstar, atra extabat, sine ullo, pupillæ prorsus oblitteratæ, vestigio. Tumor protrusæ iridis erat elasticus, et tantæ magnitudinis, ut a superiore palpebra non nisi ægre contegi posset. Tum annuentem jam ægrum, sollicite in Scholam accepimus, ut futuræ oculi metamorphoses, nobis testibus, acciderent. Utrumque oculum tæniola adhæsiva clausimus, quotidie bis, collyrium e granis quinque lapidis infernalis in uncia aquæ, affecto oculo instillavimus, et ægrum cubare jussimus. — Post tres menses, totus iridis tumor cicatrice ex albo cærulea erat obductus, valde extabat, et *sphæricum staphyloma omnino referebat*.

In casu modo memorato, nasci et confirmari sphæricum Staphyloma, ex *totali iridis*, post absumptam corneam, *prolapsu*, nosmetipsi vidimus: staphylomata igitur, pro *cicatricoso iridis prolapsu* habenda esse, certum habemus. — Etsi *partialis* quoque *staphylomatis* eamdem originem esse, verisimile sit, nunquam tamen hucusque nobis datum fuit, formationi partialis staphylomatis adstare, omnes enim, quos hucusque vidimus partiales iridis prolapsus, etsi non mediocres fuissent, sensim recedere vidimus, nulla remanente corneæ eminentia, sed

superstite tantum leucomotosa cicatrice, modo cum macula nigrescente, modo sine illa.—Inter permulta staphylomata, quæ quotannis in Schola nobis occurrunt, plura obvenerant, in quibus, circa basim tumoris, adhuc reliquias veteris corneæ licebat deprehendere: basim horum staphylomatum annulus cærulescens, subinde impuri coloris, amplectebatur, quasi reliquiæ extremæ orae veteris corneæ; ex illa ora tumor staphylomatosus, albedine cicatricis distinctus, assurgebat, et latescebat: subinde ab illa ora staphyloma erat quodammodo strangulatum. In his casibus quoque, omnino manifestum fuit, staphyloma, non fuisse degenerationem corneæ, cujus scilicet tantum extremitas circumferentia supererat, sed cicatricem fuisse iridis protrusæ ¹.

Etsi celeberrimi medici ocularii novam *Jonsoni* theoriam quodammodo infirmare velle, non ita pridem, visi fuerint ², novissimi vero scriptores antiquam theoriam falsam jam declarare, et novam amplecti videntur ³.

¹ *Middlemore*, præ ceteris auctoribus, egregie descripsit mutationes pathologicas quæ, post absumptam corneam, contingere in iride debent, ut iris in tumorem *continuum* protrudi possit, quin lens et vitreus humor excidant. *Middlemore*, Treatise on the disease of the eye. London 1835. V. I. p. 717.

² *Lawrence*, a Treatise on the disease of the eye. Second edition. London 1841. p. 364.

³ *Artl*, Vierteljahrschr: II. 1844.—Jahrbb. XLIII. 233.

Steinberg, in *Göschen* Jahresbericht. 2 Jahrgang. p. 443.

Fischer, Lehrbuch. Prag. 1846. p. 311.

Etsi celeberrimus Prof: *Fischer* in definitione staphylomatis adhuc asserat, *Staphyloma* esse corneam iridi adglutinatam, et in tumorem

Staphylomata tum tantum excidere solemus, quum ob molem, vel et chronicam forte inflammationem, cultri operam reapse desiderent. Duo igitur tantum staphylomata hoc anno excidebamus, alterum, immensum, in villico, alterum apud juvenem civicum, qui, quum dexter oculus in magnum staphyloma globosum ei extaret, et faciem inde dehonestatam haberet, sibi arte factum oculum aptare desideravit. Excisionem fecimus medio loco inter basim et apicem staphylomatis, keratotomo majusculo, quo, prius corneæ inferius hemicyclum, dein, arrepto volsella panno, hemicyclum superius persecuimus. Ubi in excisione staphyloma-

vel globosum, vel conicum, extuberantem, paulo post vero, pro cornea, vocem pseudocorneam adhibet, et affirmat, se nunquam vidisse staphylomata a luxuriante (Substanzwucher) textura corneæ, sed semper a prolapsu iridis cicatricoso: novæ igitur staphylomatis theoriæ, se quoque asseruit. — Refert quoque casum prolapsæ totius iridis, quæ in verum staphyloma totale degeneravit.

Reute, (Lehrbuch der Ophthalmologie. Braunschweig. 1846. p. 426) staphylomatis, vetertam em, quam novam theoriam admittere videtur.

Andreae, (Grundriss der gesamten Augenheilkunde. Leipzig. 1846.) novæ theoriæ nullam mentionem facit.

Pugnat contra novam theoriam casus, fortasse unicus, feminæ 28 an: ab *Henzschel* memoratæ, quæ, etsi sine iride in utroque oculo nata, (sicut pater ejus et duæ sorores) tamen staphyloma totale in oculo sinistro gerebat. Sed auctor, nisi fallor, illam feminam jam cum staphylomate, et non prius, cognovit, et alioquin sicuti brevissime, ita obscure, eum casum descripsit, ait enim, olim ophthalmiam eum oculum destruxisse — et staphyloma excitasse: — (*derer eine (Ophthalmie) das linke Auge zerstört und Totalstaphylom zur Folge hat.*) *Ammon, Zeitschrift für die Ophthalmologie. 1831. Vol. I. p. 52.*

sit *prius sectio superior* fiat, sectio inferior non nisi difficiliter absolvitur, oculus enim, vix absoluta sectione superiore, sursum torquetur: ubi vero prius fiat sectio inferior, etiamsi oculus sursum vertatur, pannus jam sectus, volsella prehendi et excidi potest ¹. Vulnus oculi vehementem ophthalmo-blepharitidem, cui venæsectionem semel, ter hirudines et purgantia opposuimus, excitavit; tandem cicatricem concepit, et oculus mutilatus opportunam exhibuit, gerendo artefacto oculo, figuram. Pulchrum fuit sequi naturæ processum in perducenda ad cicatricem plaga, ut ita dicam, inani, cui scilicet vitreus tantum humor subjectus erat. Illa plaga primis diebus escharam purulentam exhibuit; subsequentibus autem, ex eschara illa purulenta, carunculæ sparsim pullularunt, quæ paulatim latiores factæ, insimul coiverunt, et tandem sensim sensimque se contrahendo, albidam cicatricem, fere pseudocorneam, conceperunt. — Ophthalmo-blepharitis ab excisione staphylomatis suscitata, gravis fuit, et cum exophthalmia conspicua ob chemosin serosam: morbus lente recessit, neque dimitti æger potuit ante quadragesimum diem: arte factum vero oculum, non nisi pluribus præterlapsis mensibus, ei aptare statuimus. Lens, sub staphylomatis amputatione excidit. — Alterius excisi staphylomatis historia, reperietur in capitulo de pupillis arte factis.

¹ *Ammon* sectionem superiorem præfert. (*Zeitschrift für die Ophthalmologie. 1-er Band. p. 99*).

Adiaphanoses corneæ.

In casibus nebulæ et leucomatum corneæ, modo unguentum præcipitati rubri, modo unguentum kali hydrojodici, modo collyrium oxymuriatis hydrargyri, addito identidem usu interno purgantium, adhibuimus. Plerumque vero his auxiliis addidimus frictions circa orbitam vel mercuriales, vel unguenti kali hydrojodici, quæ sat diu adhibitæ, solvendæ lymphæ plasticæ in parenchymate corneæ effusæ contribuere debere, nobis visum est. Quo vero profectu id curationis genus adhibitum fuerit, vix veritate quadam affirmare possumus, nullus enim ægrorum sat diu Scholam visitavit, ut effectus curationis nobis notus esset: præ ceteris tamen auxiliis proficere visus est, pulvis subtilissimus salis culinaris in oculum coniectus, auxilium a plebejis usitatissimum.

Keratitidis cum ulcere.

Dimidia fere pars casuum keratitidis, cum ulcere fuit. Occasionem ita fere omnia ulcerum corneæ genera videndi, habuimus: ulcera opaca et subdiaphana, ulcera varicosa et sine varicibus, ulcera punctata et disseminata, orbicularia et conica, ulcera denique lunata (*à coup d'ongle*), præsto fuerunt. In ulcerum curatione, totam attentionem direximus diathesi universæ, et oculi inflammationi, qua scilicet sublata, ulcera quoque consanescere debere, facile intellectu est. Præter interna remedia

diatesi opportuna, et purgantia frequenter reiterata, usi plerumque sumus topicis et reiteratis sanguinis detractionibus, quæ fere semper manifestissime profecerunt; frictione mercuriali vel jodata in ambitu orbitæ; maxime vero tactu ulceris lapide infernali, tam ad imminuendam ulceris sensilitatem, quam, ad solvendam ei comitem phlogosin. Collyrium vel nullum adhibuimus, vel illud nitratis argenti et oxymuriatis hydrargyri. Infantibus corneitide cum ulcere et blepharospasmo affectis, corneae ulcus lapide infernali tangere, fere impossibile est: his in casibus, reiteratae doses tartari stibiati, prope unicum fuit remedium, quo utebamur. Aliquoties, nisi corneae ulcus, saltem internas palpebras horum infantum vel infernali lapide vel crystallo cuprea raptim tangere, manifeste profuit. Ubi ulcera a trachomate palpebrarum pendebant, huic totam fere curationis vim dirigebamus.

Keratitidis pustularis, vasculosa, parenchymatosa.

Eadem fere curatio fuit contra varias has keratitidis species adhibita, omnium enim una eademque prima causa esse solet, phlogosis plus minusve profunda. Hirudines vel cucurbitae, frictio mercurialis tartarus stibiatus, sulphas sodae, et contra diathesin chininum, antimonium crudum, jodium, baryta, cicuta, praecipua auxilia fuerunt. Collyria non adhibebantur nisi in superficiali corneitide (*Kerato-conjunctivitis vasculosa*); vix enim proficere in corneae inflammationibus *profundis* videntur.

In keratitide *profunda* varicosa, vasa quae in corneam tendunt praecidere, neque semel tentavimus, haec enim vasa, non in summa cornea, sed alte ex ipsa sclerotica in corneam feruntur, ideoque incidi nequeunt. Magnam igitur diligentiam semper adhibendam esse credimus in casu corneitidis vasculosae, ut probe distingueretur, num vasa in ipsam corneae *spissitudinem* se se diffunderent, num vero *summa* cornea, ejus scilicet conjunctiva, illius phlebectasiae sedem praebere: tam curatio enim, quam prognosis, in utroque casu summopere differunt. In phlebectasia conjunctivae corneae, (*pannus corneae*) collyria proficiunt, proficit quoque sectio vasorum in corneam se se ferentium; vitium, frequentissime ab aspritudine palpebrarum pendet, et etsi rebelle sit, tamen serius ocus sanationem admittit. Ubi vero phlebectasia sit *parenchymatosa*, etsi unum alterumve vas tantum, per corneae spissitudinem se se diffundat, collyria vix aliquid proficiunt, sectio vasorum fieri nequit, et curatio adeo difficilis est, ut vix equidem mihi unquam successerit hanc aegritudinem ad sanitatem perducere, quidquid vel internorum, in constitutione aegri agentium, vel externorum remediorum, adhibuissem.

Prolapsus iridis.

Iridis prolapsus, inter morbos corneae collocavi, vitium enim ab affectione corneae et non iridis provenit. De antiquo iridis prolapsu, de *totali* scilicet iridis

prolapsu cui jam superinducta cicatrix est, seu de staphylomate, tum loquuti sumus, quum, de nova staphylomatis theoria sermo fuit. *Partialis* vero, ut dicunt, iridis prolapsus, tres casus habuimus: apud duos ægros, iris jam erat prolapsa quum se se ad nos contulissent; apud tertium vero, prolapsus contigit altera die, ex quo æger acceptus est. In omnibus his casibus *nil contra prolapsum ipsum facere*, sed curationem omnem contra oculi phlogosin dirigere, consultum duximus: in duobus casibus, ægri, sine visus jactura sanitatem receperunt; prolapsus scilicet, qui a centro corneae distabat, sensim sensimque recedente oculi phlogosi, penitus recessit, opaca cicatrix in cornea remansit, pupilla, ob synechiam partialem anteriorem, cordatam figuram assumpsit. — In tertio casu autem, prolapsus, prope centrum corneae sedem habebat, cornea tota erat ab inflammatione opaca, et oculus, *non propter prolapsum*, qui recessit, sed propter *universae corneae morbum*, videndi facultatem prorsus amisit: hujus gravioris casus historia, hæc fere est.

Ortus et recessus prolapsus iridis.

24 April. 1846. Juvenis rusticus 20 annorum, capilli flavi, irides cæsiae, habitus robustus, nonnihil obesus et lymphaticus. 24 Aprilis primum Scholam adiit ambulans: *palpebrae* oculi sinistri spasmodice præ oculi dolore contractæ, lacrymis humectæ, rhinodacryorrhoea: *conjunctiva*, tam palpebralis, quam ocularis, parum patiuntur, et deutero-pathice tantum: *cornea tota cinerei coloris* est, ita ut iris et pupilla nil omnino appareant, et videndi facultas prorsus sit intercepta: vena una

turgidior, ex superiore sclerotica in mediam corneam se diffundit: *bulbus formam conicam adeptus est: sclerotica, in ora pericorneali intensissime rubra, rubedine atra: oculi album, retro rubentem oram pericornealem, impurum, subflavum, multis venis liventibus, turgidis distinctum: ulcus in cornea nullum, sed tota corneæ superficies asperula: hemi-crania lateris affecti, diu noctuque tenens, gravissima; visus prorsus deletus.*

A 1-a curationis die ad 5-tam, semel et iterum orbitæ, genis et nuchæ, multæ cucurbitæ cruentæ, et prope palpebras hirudines XX affixæ sunt, quotidie sulphas sodæ exhibitum est: omnia vero auxilia nil profuerunt. — Die 5, cornea, prima die, mediocriter gibba, in conum obtusum *quam maxime* extabat. Aeger igitur sollicite in schola acceptus est, ut accuratius futuræ oculi metamorphoses sequi potuissent.

Ea die, acerbos in oculo et in toto capitis latere dolores æger accusavit, lacrymæ multæ ex oculo et ex naso defluebant, pulsus citatus, carnes nonnihil calentes. (Venæsectio ad ℥j, Olei crotonis tiglii guttæ jj, frictio mercurialis ex drach: jjj cum drach: j extracti belladonnæ).

6-ta die. Nox, ob dolores oculi et capitis, prorsus insomnis: sed circa diluculum, *repentinum et ineffabile levamen* æger expertus est. Mane sub oculi inspectione, causam tanti et tam repentini levaminis cognovimus; ruptam nempe prope centrum, nonnihil a latere interno et deorsum, corneam, et iridem prolapsam, reperimus. Tumor prolapsæ iridis erat globosus et magnitudinem lenticulæ æquabat, grandis scilicet adeo erat, ut quartam corneæ partem contegeret: hiatus corneæ per quem iris emerserat, a prolapsu prorsus erat absconditus. (*Uterque oculus tæniola adhæsiva claudatur: frictio mercurialis cum belladonna; cucurbitæ tempori, genæ, collo et cervici affigantur.*) (Ab oleo crotonis secties dejecerat.)

7-a die. Dolores capitis et oculi, etsi mitiores, tamen ægrum valde infestant: palpebra superior, ut prius, tumidula; iridis prolapsus quidquam major. — (*Frictio mercurialis cum belladonna — Rp: Lap. inf: dr: j. Aq. ℥j. S. instilletur bis in die*).

9-a die. Symptomata recedunt, oculi et capitis dolores mitiores, prolapsus mucositate quadam obtegitur; a pressione palpebrarum quodammodo est complanatus.

11-a die. Nullus capitis et oculi dolor, palpebra superior non amplius tumet, lacrymarum proventus valde imminutus: sclerotica tantum rubet in ora pericorneali: prolapsus colorem iridi proprium amisit et quodammodo albescere, fere a mucositate ei hærente, videtur. (*Frictio et sulphas sodæ, collyrium argenti nitrici*).

15 die. Prolapsus adeo recessit, ut vix capitulo aciculæ minoris sit æquiparandus.

20 die. Loco prolapsus iridis, minima caruncula pallido-rubrum punctum referens, in medio leucomatis visitur.

26 die. Dimissus est: tota cornea non eminens, sed potius complanata, coloris cinereo-livescentis est, ita, ut trans illam nullibi iris appareat: in sede prolapsus, densum leucoma, prolapsus vero ipsius, nullum vestigium.

Sanguinis igitur topicae depletiones, unguentum hyrargyri cum belladonna, purgantia et collyrium nitratis argenti, auxilia fuerunt, sub quibus, prolapsus, etiamsi magnitudinis non mediocris fuisset, prorsus recessit: id autem, in quovis fere prolapsu iridis, morbus hic locorum certe non infrequens, mihi videre contigit.— Abstineri quoque a collyrio argenti nitrici in curatione prolapsus posset; illud adhibere propterea solemus, quod sensilitatem prolapsae iridis forte imminuere nobis visum est.

Circa iridis prolapsus, celeberrimi in arte viri egregie jam dudum scripserunt, nullamque *directe* contra partem iridis prolapsam curationem adhibendam esse, jam ostendit *Demours* et post eum celeberrimi artis periti. ¹.

¹ *Demours*, Traité des maladies des yeux. T. I. p. 300.

Chelius, Handbuch der Augenheilkunde. T. I. p. 176.

Lawrence, A treatise on the disease of the eye. London 1841 p. 436

Scarpa prolapsam iridem lapide infernali, in cuspidem extenuato, tangere, ut eschara fiat, suasit, quod auxilium revera proficere, sæpe vidi. Id ipsum nuper, quasi novam curationem, *Pétrequin*¹ proposuit: oculi autem compressio, quam commendat, ab oculo, neque sano, eo minus vero inflammato, perferri potest. In prolapsu iridis, oculus esse quidem clausus debet, nullatenus vero compressus: claudi autem et sanus quoque oculus oportet, sub motu enim oculi sani, oculus affectus, etsi clausus, et si vis compressus, movetur.

Historiæ ad morbos corneæ pertinentes.

Corneitis.

22 Sept: 1845—Rustica 40 annorum, habitus gracilis, mater, ceterum sana, dextro oculo a tribus hebdomadibus laborat: sine doloribus capitis vel oculorum est, sed tantum corruptam habet videndi facultatem.

Conjunctiva palpebralis et ocularis leviter tantum irritatæ, palpebræ aliquantum contractæ, limbis mediocriter rubentibus.

Sclerotica rubella, cyanodes, multis in illa transcurrentibus tenuissimis venis: hic illic turgidiora quoque vasa in ipsa scleroticæ spissitudine flexuosa transcurrunt, et in eam se repente, duabus circiter a cornea lineis, immergunt.

Cornea prominet ab hypersecretione humoris aquei, quidquam opaca est, et inter marginem ejus et scleroticam interjecta est stria albicans, quæ in canthis latior est.

Iris omnino mobilis, cæsius vero color ejus, ob quamdam impuritatem corneæ, densior videtur quam in oculo sano. Photophobia et epiphora mediocres admodum. Nullus neque capitis neque oculi dolor. Visus valde corruptus.

¹ *Annales d'Oculistique* V. 4. p. 128.—*Pétrequin*, *Mélanges de chirurgie* Paris, 1845, p. 248.

22 Sept: *Curcurbitæ octo tempori, genae, cervici et collo. Sulph. sodæ ℥j.*

24 Sept: Non pejus, imo melius. (*Reiterentur cucurbitæ et sulph: sodæ*).

25 Sept: Multo melius, cornea conspicue pellucidior. (*Frictiones mercuriales ad 3j mane et vespere: — sumat mane et vespere gr: j chinini sulphurici.*)

25-29 Sept: Quotidie therapia eadem, cum manifestissima emendatione.

5 Octobr: Semper melius (*Sulph: sodæ. Perstet in frictione et chinino.*)

12 Octobr: Fere restituta, nullus scleroticæ rubor, visus longe et longe clarior, corneæ pelluciditas fere naturalis. (*Abstineat a frictione, perstet in usu chinini*).

Symptomata primaria hujus casus fuerunt:

Cornea æquabiliter suffusa, coloris fere cinerei.

Orbicus ex albo lividus (*arthriticum nonnulli appellant*) corneam a sclerotica separans.

Plenitudo cameræ anterioris, cum protrusione corneæ.

Visus, ob corneæ suffusionem, valde corruptus.

Sclerotica cum venis usque ad orbiculum pericornealem se ferentibus, quin corneam scanderent.

Vasa scleroticæ, alia erant recta et tenuissima, alia *turgidiora et flexuosa*, abrupte in scleroticam se se immergentia.

Adnotanda est absentia dolorum capitis et oculi, absentia majoris photophobiæ, denique apprime vicens mobilitas iridis.

Sanationem recepit detractionibus sanguinis topicis, sulphate sodæ, frictionibus mercurialibus et chinino sulphurico, curatione in vigesimum usque diem protracta.

Ulcus in media cornea sinistra recens.

26 Sept: 1845. Femina urbica, 26 an: robusta, plerunque sana, nupta, tribus diebus abhinc ex capite dolere cœpit: subsequente die, titillationem quamdam in oculo sinistro sensit, et ruborem oculi ani-

madvertit: tertia die dolor oculi mulierem valde molestavit, eamque in Scholam adegit.

In media cornea ulcus altum datur, transversum, longitudinis lineæ sesquiunius, marginibus ad perpendiculum fere sectis, subopacum, non varicosum: in supremo corneæ margine, brevis corolla vascularis: sclerotica rubella; blepharoconjunctivitis; taraxis; photophobia mediocris; epiphora: noctes præ oculi dolore iusomnes. (*Ulcus raptim tetigimus lapide infernali. Sulph: sodæ ℥j.*)

27 Sept: Ulcus, a tactu lapidis albescit:—omnia symptomata valde fracta. (*Cucurbitæ sex scarifactæ in ambitu oculi.*)

28 Sept: Multo melius, nullus oculi dolor, nulla fere photophobia, totus oculus minus rubet. (*Cucurbitæ reiterentur, sulphas sodæ*).—Amplius non venit.

Keratitis vasculosa a trachomate.

24 Aug: 1845. Plebeja 35 an: robusta, vidua, improlis, fluore albo obnoxia, ab oculo dextro a tribus mensibus laborat. Palpebræ contractæ; conjunctiva palpebræ superioris dextræ indurata est, fere callosa, perinde ac si diu causticis fuisset adgressa: hic illic quoque inter callositates, aspritudines dantur eminentes. Cornea, qua parte a superiore palpebra contegitur, conjunctivam refert tumentem, confertissimis in illam, ex sclerotica trauscurentibus, venis: præter tenuiora vasa quæ corneam obsident, datur quoque vena una turgidissima. In media fere cornea visitur stria nebulosa, densa, transversim corneam supremam ab ima separans: in eam opacitatem, fere omnia varicosa vasa se immergunt. Epiphora, dolor oculi pungens, visus valde corruptus.

24, 25, 26 Aug: His diebus interna superior palpebra tacta est crystallo cuprea, et quotidie data est ℥j sulph: sodæ.

27 Aug: A tactu cum sulphate cupri ter reiterato, multo melius oculo est, acris ejus sensilitas et contractio palpebrarum conspicue decreverunt. (*Tangatur alternis diebus interna superior palpebra crystallo cuprea.*) Amplius non venit.

Keratitis cum abscessu in media cornea dextra.

18 Aug: 1845. Operarius 25 annorum, habitus robusti sed aliquantum lymphatici, flavicomus, cum facie ephelidibus notata, duobus mensibus abhinc urethritide laboraverat, quam balsamo copaivæ et nitro abegerat. A duabus hebdomadibus laborat ab oculo dextro: morbi causam, fuisse pulverem in oculum illapsum, ait. Oculo spiritum vini instillavit, unde malum magnopere exasperatum est.

Palpebræ tumidulæ, plexus venosus palpebrarum turgidus: conjunctiva fere chemotica: corolla vasculosa marginem corneæ ad altitudinem semilineæ cingit. In media cornea, abscessulus seu postula interstitialis, magnitudinis capitis aciculæ minoris hæret; tota fere cornea infuscata, dolor oculi gravis et assiduus; epiphora; spastica palpebrarum, lacrymis madentium, constrictio. Aliquis calor carni, æstus capitis, pulsus plenus, nonnihil justo frequentior. (*Venæsectio* ℥j.—*Sulph: sodæ* ℥j).

19 Aug: Nox quidquam tranquillior, externus vero oculi habitus, immutatus. (*Hirudines XV in ambitu palpebrarum: frictio mercurialis, et alternis diebus* ℥j *sulph: sodæ*).

22 Aug: Dolores prorsus sublatis, rubor quoque oculi longe dilutior. (*Hirudines VIII in ambitu oculi: —frictio mercurialis, sulphas sodæ.*)

26 Aug: Omnia symptomata conspicue et celeriter recedunt, fereque absque remediis relinqui æger potest. (*Frictio.*)

30 Aug: Morbus fere prorsus extinctus, remanente in media cornea macula subpellucida, admodum parva, albicante. (*Perstet per hebdomaden in frictione mercuriali*).

Corneitis parenchymatosa erythroides.

10 Jan: 1846. Virgo rustica 21 annorum, robusta, semper sana, habitus pleni et aliquantum lymphatici. — A duobus mensibus fere cæcus ei est oculus dexter, qui pulchrum exemplum corneitidis parenchymatosæ erythroidis offert. — Palpebræ et organa lacrymalia et conjunctiva quoque blepharo-ocularis, præter mediocrem irritationis gradum, nil morbosum offerunt. Tam oculus, quam caput, doloribus carent. *Sclerotica* est coloris lacte rosei, et rubor ejus, in ora pericorneali spissior

est: *cornea* tota subopaca, quasi pulvere aspersa, asperula, et in *tota* circumferentia colorem *rubrum refert*, *admodum densum* Rubedo in circumferentia corneæ, non pendet a *corolla vasculosa* conjunctivæ corneæ, sed ipsi corneæ parenchymati insidet. Media pars corneæ, etsi subcinereo colore sit suffusa, permittit adhuc ut pupilla et iridis margo internus, trans illam cerni possint, ideoque videndi facultas, etsi valde corrupta, tamen adhuc satis viget, ut objecta eo oculo distinguere ægra utcunque possit.

Hæc ægra morata est in Schola, a *10-ma die Ian: 1846*, ad *26 Febr:* et curata est venæsectione semel facta, cucurbitis scarifactis tempori, genæ et collo ter affixis, frictionibus mercurialibus in ambitu orbitæ per dies *quindecim* institutis, et pilulis aloëticis: subinde soda sulphurica quoque data est.

Adnotatione dignus est modus, quo cornea ad sanationem processit: sub curatione scilicet, rubedo illa spissa, quæ fere annuli adinstar, corneæ circumferentiam circumcingebat, manifestissime *latior* sensim sensimque facta est, donec, ad mediam corneæ partem magis magisque accedens, totam omnino corneam jam occupaverit, et prius iridis internum marginem, denique pupillam totam prorsus absconderit. Sed eodem tempore, quo rubedo, versus corneæ centrum ubique æquabiliter se protendebat, rubedo in corneæ circumferentia fiebat dilutior, donec prorsus evanesceret. Istiusmodi *progressus* rubedinis versus centrum corneæ, et *regressus* ejus in corneæ periphæria, fuit adeo manifestus, ut prædici quodammodo in antecessum dies potuerit, in quo *tota pupilla foret abscondita*, ideoque prorsus cæca foret ægra, iris vero in periphæria foret *iterum patens*: eodem enim passu, quo *internus iridis annulus et pupilla*, a rubedine corneæ abscondebantur, eodem quoque passu *major annulus iridis*, disparente corneæ rubedine, patentior fiebat. Quum rubedo jam omnino centrum corneæ attinisset, reliquum corneæ, fere naturalem colorem jam erat adeptum.

In curatione, cucurbitæ, frictio mercurialis et aloës, efficaciter profuerunt. Quum ægra dimissa fuisset, levissimæ nubeculae adhuc corneae insidebant, ab effusa in textu ejus lympa, non nisi longiori tempore disparitura.

Corneitis chronica vasculosa.

17 Febr: 1846. Rusticus 27 annorum, habitus valde scrofulosi, panos colli multos, et ab illis olim inflammatis et ruptis, multas in collo gerit cicatrices. In infantia, ab ophthalmia variolosa oculum sinistrum perdidit. Oculo dextro, a septem annis, plus minus laborat, a mense vero sesquiuno malum exasperatum adeo est, ut incedere *incomitatus* nunc nequeat, sed duce indigeat.

Plexus venosus palpebralis, tumidulus, cilia partim dilapsa, partim in fasciculos conglutinata: conjunctiva palpebralis parum mutata, ocularis chronice rubra.

Cornea nebulosa, coloris cinerei, innumeris fere punctis notata et medio loco exulcerata, ulcere concavo, subdiaphano, marginibus fere serratis, tandem tota fere dendritica. Epiphora; blepharospasmus mediocris; dolor oculi secans. (*Insinuet subter palpebras affecti oculi alternis diebus unguentum praecipitati rubri ex gr: j. j. j. — Bis in hebdomade utatur pilula ex granis duobus alœes cum grano submuriatis hydrargyri — Apricetur, et oculos quam fieri potest apertos teneat.*)

5 Martii, iterum venit: ab usu unguenti conditio oculi magnopere emendata, phlogosis chronica fere deleta, tota cornea pellucidior, ulcus consanuit, vasa varicosa, magna ex parte recesserunt. (*Perstet in usu unguenti praecipitati rubri.*)


24 Martii, iterum venit: hac autem vice solus, sine duce, Scholam adivit. Phlogosis oculi prorsus extincta, corneae tantum nondum perfecta est pelluciditas. (*Ungu. præcip: rubri*). — Amplius non venit.

Præcipitatum rubrum summopere profuit.

Cornea conica.

9 Martii 1846. In homine annorum 34, qui tribus annis abhinc ophthalmoblennorrhœa oculi sinistri laboraverat, cornea valde extabat in conum: facta comparatione cum dextro oculo, circumferentia basis corneae affectae tanto erat angustior, quanto haec cornea, prae altera

erat extantior. Cornea ita conica, erat a lateribus naturaliter pellucida, in apice vero erat nebulosa et leviter dendritica, nullatenus splendens. Iris naturalis, quidquam retropulsa, ægre mobilis: altitudo camerae anterioris, ob corneae conicitatem, erat maxima. Visus valde corruptus, neque hoc oculo, quo ad latus tantum videt, æger utitur. (*Nulla curatio suscepta est*).



MORBI SCLEROTICÆ.

Postquam celeberrimi auctores ¹ inflammationem scleroticæ idiopathicam in dubium revocaverunt, et scleritidem ex nosologia expungere quodammodo velle visi sunt, quantam maximam diligentiam adhibuimus in statuenda diagnosi hujus affectionis, quotiescunque ejus exempla se se nobis obtulerunt. Et hocce anno quoque, casus habuimus, in quibus nullum omnino aliud symptoma oculi offerebant nisi peculiarem illam, scleroticæ inflammatae omnino propriam, rubedinem, cyanoden scilicet, quin conjunctiva, vel cornea, vel iris aliquid abnorme præ se ferrent. Hos igitur casus, pro scleritide habuimus, eamque reapse existere, iterum nos experientia docuit. In scleritide autem curatio, quæ, sine exceptione admodum efficacem se præbuit, fuerunt topicæ sanguinis depletiones, quas præscribere consuevimus statim ac aegri se se cum rubella sclerotica, et cum dolore circumorbitali, huicce ophthalmiæ sæpe socio, offerebant. In casibus recentibus, in quibus sci-

¹ Manuel pratique des maladies des yeux d'après les leçons cliniques de M. le prof. Velpeau. Paris 1840, p. 260.

licet morbus scleroticam solummodo occupabat, et nondum iridem, vel corneam, vel choroideam invaserat, hirudines semel vel bis admotæ, fere incredibilia præstare vidimus: — interna remedia plerumque fuerunt sulphas sodæ, tartarus stibiatus, colchicum, aconitum.

En aliquot exempla.

Scleritis recens, hirudinibus celerrime sanata.

Scriba vicenarius, boni habitus, jam dudum sanus, octava Februarii quum forte a flante vento inhorruisset, dolere ex oculo dextro ea die cœpit, postridie vero, summo mane dolor acerbissimus factus est, multas oculus lacrymas profundeabat, dolebat quoque regio, tam frontalis quam temporalis ejusdem lateris. *Die tertia* mane, dolores iterum graviores revertebantur, aegerque in Scholam se conferre coactus est. Accessit gemebundus, velato oculo, palpebris genisque ob lacrymas madentibus. Oculus affectus, cyanodè, spissa rubedine suffusum se offerebat, eratque rubedo in ora pericorneali multo spissior. Conjunctiva parum admodum rubebat, et ejus rubor, a scleroticae rubedine facillime discerni poterat: iris sui coloris, et mobilis; pupilla purissima, nigra, suae formae: internae oculi partes non patiebantur, photophobia vix aderat, lux tamen, oculi dolorem augebat, et sub oculi autopsia, etsi cautissime et rapide suscepta, prae oculi dolore, aeger bis fere animo linqvi visus est. (*Hirudines XII in ambitu palpebrarum. Sulph: sodæ ℥j. — Vespere infusum sambuci cum acetate ammoniæ*).

11 Febr: Post hirudines protinus levamen insigne, fere incredibile, aeger expertus est: noctem tranquille, dolorum omnino expertus, transegit. Mane, fere nullum amplius in sclerotica ruboris vestigium reperimus, nullus dolor aderat, epiphora recesserat. Ea die, aegrum sine remediis in Schola retinuimus; subsequente vero, quae tertia erat, quum se prorsus restitutum sentiret, discessit, neque amplius rediit. Efficacia hirudinum, et hocce quoque in casu, fuit manifestissima.

Scleritis.

22 Aprilis 1846. Femina 27 annorum, habitus firmi, ab hebdomade laborat ab oculo sinistro: venae palpebrarum turgidulae, turgida non-nihil cutis temporis et genae, oculus propter nimiam sensilitatem clausus, dolores in bulbo vehementes maxime noctu, lacrymae multae, parum muci: conjunctiva palpebralis praerubra, turgidula; conjunctiva ocularis quoque, tota retis exilioris adinstar injecta; vasa capillaria scleroticae multa: cornea naturalis, anterior camera plenior, iris (caesia) mobilis, pupilla naturalis: irritata quoque est Schneideriana: somni pravi. (*Cucurbitæ genæ, tempori, et cervici: sulphas sodæ ℥j.*)

23 Aprilis. A cucurbitis multo melius, caput minus dolet, allevatus oculus est, photophobia minor, minorque oculi dolor, qui, prius acris et acutus, hodie quodammodo obtusus est: *objective* autem, vix quaedam mutatio visitur, sclerotica enim irritata est, rosei quodammodo coloris, annulus albidus corneam a rubedine scleroticae sejungit, conjunctiva irritata, rubra.—Rheumatismo humeri dextri laboravit, nec brachium dextrum per quatuor menses attollere potuit. (*Admoveantur circa palpebras 15 hirudines*).

25 Aprilis. Ab hirudinibus palpebrae oedematosae, sed dolores oculi et periorbitae valde imminuti, allevatam se valde dicit aegra; oculus propter palpebrarum tumorem inspicere nequit: noctu bene dormivit, admotorum hirudinum aegra sibi gratulatur. (*R. Tincturae colchici, aconiti āa drach: jj. S. quovis bihorio guttas XXX: fomenta camphorata sicca.*)

26 Aprilis. Palpebra superior hucusque oedematosa, et oculus commode inspicere nequit: noctu dormivit, doloribus afflicta non fuit: omnino melius. (*Perstet in usu colchici*).

30 Maii. Pejus, oculus dexter quoque, eodem malo occupatus est: scleritis oculi sinistri exasperata est. (*Venaesectio ℥j. Tart: stibiati grjjj, uno haustu: sinapismus tempori et fronti.*)

1 Iunii. Venam secuit, sinapismum admovit, sed emeticum non sumpsit: jam vespere melius se habuit, photophobia longe minor fuit,

noctem totam in somno transegit: hodie conspicue et valdopere melius, scleritis oculi dextri valde fracta, lacrymatio multo minor: sed perstat non mediocris rubor scleroticae: (*Tartari stibiati gr. jjj, uno haustu*).

2 Iunii. Emeticum sumpsit, vomuit, sudavit: nox propter nausam insomnis fuit: nullus tamen dolor, hodie oculi insigniter melius se habent, sine molestia lucem sustinent; fere nihil lacrymarum: sclerotica clarior quidem, nondum tamen prorsus restituta: conjunctiva palpebralis quidquam tomentosa. (*Guttæ colchici et aconiti*).

6 Iunii. Emendatio perseverat, sed nondum omnia morbi vestigia prorsus sunt extincta, et timendus relapsus est.—(*Amplius non venit*).

Scleritis oculi dextri.—Cucurbitæ; fomentum ex solutione sublimati et infuso belladonnæ. Sanatio.

Plebeja innupta, 25 ann: pravi moris, habitus firmi. Laborat ab oculo dextro a quatuor hebdomadibus. Ante oculi morbum, passa est per mensem dolores in utraque tibia et in fronte: dolores interdium remittebant, nocte revertebantur, et circa diluculum fiebant maximi: sub assidua frictione tibiarum cum oleo olivarum, tractu hebdomadis, dolores ægra prorsus abegit.

Pæcipua oculi affecti symptomata sunt sequentia.

Palpebrae spasmodice contractæ, turgor plexus venosi palpebralis, nullæ gramia.

Epiphora sub diluculo abundissima, mediocris admodum interdium.

Conjunctiva bulbi parum affecta, mediocriter admodum, sed magis circa corneam, concellata: conjunctiva palpebralis non tomentosa, non aspera.

Scleroticæ rubor cæruleus, valde conspicuus, statim in oculos incidens, valde spissus in ora pericorneali.

Cornea pellucida, pellucidæ quoque cameræ, sine apparente nimia anterioris plenitudine.

Iridis textura immutata est, et vix quædam, inter colorem iridis sanæ et affectæ, deprehendi differentia potest: motus utriusque iridis quidquam segnis.

Pupilla oculi affecti, suæ formæ, nonnihil contracta, coloris naturalis.

In camera posteriore, et in partibus oculi intimis nulla suffusio, sed quedam fere nigredinis alienatio.

Facultas videndi, fere deleta: objecta omnia, qua corpora informia, flavescens coloris, affecto oculo apparent.

Dolores interdiu valde mites oculum tenent, sed appetente nocte ingravescent, et inter horam secundam et tertiam post mediam noctem, acerrimi fiunt cum magna epiphora. Surgente sole, ophthalmodynia et epiphora se remittunt. Aegra asserit dolores sentire non in supercilio, neque in ambitu orbitæ, sed maxime in cantho oculi interno.

1-a die curationis, extracta est per cucurbitas libra sanguinis ex regione circumorbitali, malari, parotideæ, et cervicali, et fomentum sublimati praescriptum est. *Rp. Hydrargyri sublimati corrosivi grana XII, aquae destillatae uncias jV. S. D. S. pro fomento. — Sulph: sodae ℥j.*

2-a die. Noctem melius transegit; accessus ophthalmodynæ sub diluculo apparere solitus, multo mitior fuit: *objectiva* tamen symptomata vix mutata, eadem spissa, cyanodes scleroticæ rubedo. (*Reiterentur cucurbitæ: perstet in fomento sublimati corrosivi*).

3-tia die. Per totam fere noctem dormivit; sub diluculo accessus ophthalmodynæ prorsus non adfuit: objecta hodie aegra jam discernit et circumscribit, etsi corrupte adhuc: symptomata *objectiva* tamen vix mutata. Cutis maxillæ, temporis, et glabellæ, a causticitate fomenti, rubra, fere excoriata, cuticula albescens: fomentum jam dolorem urentem provocat. (*Loco fomenti ex sublimato, superdetur oculo fomentum belladonnae*).

4 die. Seposito fomento sublimati, oculus iterum doluit, quamvis multo minus quam ante inceptam curationem. Aegra pristinum fomentum, cui dolorum recessum tribuit, desiderat. Scleroticæ rubedo hodie dilutior, visus quoque, adhuc emendatior: pupilla, a fomento belladonnae quidquam diffusior. (*Adhibeat iterum fomentum sublimati, sed dimidio mitius, ex grano scilicet sesquiuno pro uncia*).

5 die. Nullus omnino, neque noctu, neque diu, oculi dolor: sed fomenta diligenter admota, loca excoriata nimis molestant. Oculi conditio mani-

feste melior, visus quotidie melior, iridis motus expeditiores. Sed perstat semper in pericorneali ora rubor scleroticæ sat spissus.

6—13. Extinctis doloribus et emendata jam videndi facultate, ægram per subsequentem hebdomaden, absque remediis, præter pilulas aloëticas, reliquimus. —Discessit decima tertia die curationis, bene videns, sine oculi dolore, sine epiphora: sed in ora scleroticæ pericorneali deprehendi adhuc reliquiae poterant rubedinis pristinae, nondum ex asse dissipatae. Dimissa est cum eo, ut Policlinicum frequentaret, sed summoeniana foemina amplius non venit.



MORBI IRIDIS.


Spontaneae iritidis unum tantum, per totum fere annum, exemplum habuimus; circa Majum vero mensem, paucis diebus, iritidis exempla quinque accesserunt. Oculi autem, a perpessa olim iritide jam dudum obcaecati, in quibus impervia, ab iritide prægressa, erat pupilla, casus circiter septem obvenerunt: in duobus horum, sanguis concretus in camera hærebat: in duobus autem restitui per coremorphosin visus potuit.

Omniū magis conspicuum iritidis symptoma, in quovis fere ex casibus, quos habuimus, fuit mutatio in colore iridis, et rubedo scleroticæ cyanodes, præcipue in ora ejus pericorneali: dolores in quovis casu fuerunt acerbri, plerumque diu aliquantum remittentes, noctu sub diluculo graviores. Pupilla, sub iritide, in aliquot casibus, vix contracta fuit, motus ejus, in uno casu, non omnino fuit deletus, etsi conspicue jam mutatus color fuisset.

In puella duodeviginti annorum, etsi mediocris admodum fuisset iritis, hypopyon jam praesto erat.

Auxilia, quæ contra iritidem præ ceteris efficacia nobis visa sunt, fuerunt: reiteratae et abundissimae sanguinis depletiones, per hirudines, vel per affixas, tam in ambitu orbitae, quam genis, collo, nuchae, multas cucurbitas cruentas. Intus, prae ceteris proficere visæ sunt parvæ doses sublimati corrosivi: externe vero profuit unguentum neapolitanum cum extracto belladonnae affatim adhibitum. Pulvis opii cum saliva, vel ejus extractum supercilio illitum, nunquam dolores mitigarunt. Quivis casus, plus minus rebellis fuit, et curatio in quovis fere per mensem et ultra, protrahi debuit: nunquam vero casus iritidis spontaneae adeo rebelles fuerunt, ac iritides ab operatione cataractae provocatae, quas plerumque pertinacissimas, et frequentius in atresiam pupillae abituras vidi.

Quoad differentiam inter iritidem parenchymatosam et serosam, nunquam mihi contigit ad lectum aegrorum unam ab alia disternere, neque scio equidem num possibile sit, in tanta tenuitate partium, revera disternere inflammationem tenuissimi externi amictus, ab inflammatione subjecti substratus: passim igitur uno iritidis nomine hos casus appellavimus, seposita denominatione iritidis serosae et phlegmonosae, ne nomen imponeremus rei, nobis minus perspicuae.



Cornea sparsim exulcerata, iritis lenta, vestigia hypopyi. Sanatio.

16 Aug: 1845. Piscatrix 40 annorum, habitus attriti, senium praecocem praeseferens, novem liberorum mater. A duobus annis cephalalgia saepissime vexatur, et a pluribus jam mensibus, ab oculo dextro laborare ait, cum doloribus regionis supraorbitalis et temporalis, noctu gravioribus.

Palpebra superior tumidula, venis subcutaneis turgentibus.

Conjunctiva blepharo-ocularis rubra, rubrior circa oram corneae.

Sclerotica tota, per rubentem et turgidulam conjunctivam, ex atro-rubra apparet.

In supremo *corneae* ambitu ulcus datur orbiculare, altum, opacum, in quod congeries vasorum confertorum tendit. In margine corneae inferiore et externo, aliud ulcus datur, quod fere marginem corneae sequitur: ulcus longitudinis est conspicuae, linearum scilicet fere trium, latitudinis vero lineae dimidiae, subopacum est, et in illud quoque, multae confertissimae venae feruntur. Exesus quoque est margo corneae a latere nasi. Cornea igitur, in superiore, inferiore, externa, et interna parte, exulcerata est: pars media corneae quidquam nebulosa.

In infima *camera* anteriore, parvum hypopyon coloris ex albo flavicantis visitur.

Pupilla potius est diffusa quam contracta, immobilis: iridis color, qui in sinistro oculo caesius est, in hocce oculo manifeste ad *viridescentem* vergit.

Visus oculi valde corruptus, dense nebulosus: photophobia insignis: dolores, tum sub palpebra superiore, tum in toto oculo frangentes, et admodum graves. Pulsus 85, cutis subsicca, calor naturalis. (*Hirudines* 20 in ambitu oculi.—*Sulph. sodæ* ℥j.)

17 Aug: Nox insomnis ob dolores capitis, ab occipite ad orbitam quodammodo tendentes, dolor sub palpebra acutus: (verisimiliter ab ulcere corneae). Ter dejecerat, pulsus 70. (*Rp. Tart. stibiati* gr: jj,

haustu uno). *Vespere*.—Quinques dejecit, bis vomuit. De doloribus, neque in capite, neque in oculo conqueritur.

18 *Aug*: Noctu dormivit, sed per diem oculus dolebat, inquires aderat: pulsus 70. (*Decoctum chinæ*).

20 *Aug*: Nox insomnis ob graves dolores, tam in oculo, quam in capite: in summa cornea, novus abscessulus animadvertitur. Ulcera corneæ mucositate madent. Ulcus inferius, latius factum est. (*Infricentur drachmæ duæ ungu: neapolitani cum extracto belladonnæ in ambitu orbitæ. Cucurbitæ scarifactæ decem collo, faciei, et cervici affigantur. Decoctum chinæ*).

22 et 23 *Aug*: Dolores in orbita sentit frangentes, terebrantes: fere nulla mutatio in oculo. (*Sumat quotidie vespere octavam partem grani oxymuriatis hydrargyri, mane decoctum chinæ: perstet in frictione ex ungu: hydrarg: cum extracto belladonnæ: clyisma quotidie injiciatur.*)

25 *Aug*: Pulsus 70, noctu abunde sudavit: dolores oculi et capitis longe mitiores. Oculus nonnihil clarior fit: ulcera corneae detergi videntur: conjunctivae rubedo dilutior: iris, sub exploratione oculi, nonnihil contrahitur. (*Sublimatum, china, frictio, clyisma*).

27 *Aug*: Conspicue melius, dolores mitissimi: cornea valde clarior, et melius per eam iris apparet: ulcera puriora: iridis motus, pro varia luce, expeditiores (*idem*).

30 *Aug*: Nullus fere, tam oculi, quam capitis dolor: cornea quotidie naturalior fit, ulcera ad sanationem celeriter accedunt: totus oculus jam sani oculi aspectum assumit, aegra hilarior cibos appetit. (*Abstineat a frictione: utatur china mane, et sublimato vespere.*) Aegra jam granum unum sublimati consumpsit.

2 *Sept*: Ulcera corneae jam cicatricem conceperunt, neque illorum vestigium fere deprehenditur, excepta cicatrice ulceris imae corneae, quae subopaca est. Oculus fere omnino naturaliter habet. (*Abstineat a sublimato corrosivo, perstet in usu chinæ*).

6 *Sept*: Restituta discessit, secumque tulit pulveres chinae, in quorum usu, ægram gracilem et attriti habitus, per mensem perstare volumus.

Iritis cum Keratitide.

27 Apr: 1846. Coqua 40 annorum, gracilis, morbis tamen raro obnoxia, nupta, duorum liberorum mater. Nulla ei nota occasione, a decem diebus graviter ab oculo dextro laborat, morbo quotidie increscente: doloribus divexata, in Scholam se contulit gemebunda, capite inclinato, affectum oculum mucinio protegens: collyrium, quo domi usa est, morbum exasperavit.

Palpebrae contractae, lacrymis humentes, turgentibus venis notatae: venae quoque regionis temporalis turgent. Photophobia.

Conjunctiva ocularis rubra, venis flexuosis, retis in modum supra scleroticam protensis: corolla vascularis summam corneam cingit.

Sclerotica conspicue rubra, rubedine cyanode: hic illic in ipsa sclerotica, turgidae venae serpunt.

Cornea quasi pulvere suffusa, fere innumeris punctis, seu parvissimis ulcusculis notata: quidquam a centro corneae, a latere nasi, in compage corneae abscessus albissimus visitur, qui tamen in corneae superficie non eminet.

Camera anterior turgida. *Iris* in sano oculo caesia, in oculo affecto coloris est ex flavo-viridis, quidquam tamen movetur: pupilla non-nihil dilatata.

Visus oculi affecti, omnino deletus, aegra manum ante oculum oblatam, omnino non discernit.

Dolor assiduus, frangens, tum in oculo, tum in toto latere sinistro capitis. Epiphora.

Pulsus 80, cutis sicca. (*Cucurbitae scarifactae in ambitu oculi: calomelis gr iij.—Pustula corneae, cataractaria acu, pertusa est.*)

28 Apr: Semel a calomelano dejecit. Oculus et caput minus dolent. (*Hirudines XX in ambitu orbitae. Sulph. sodae ℥j.*)

29 Apr: A sulph: sodae quinquies dejecit: allevata sibi videtur, nocte subinde dormivit, doloribus mitioribus. *Oculus hucusque omnino caecus.* (*Hirudines XXX tempori, et in toto ambitu orbitae:*

Vespere, *decem cucurbitae cruentae collo, cervici, genis.* — *Sulph: sodæ ℥j*).

30 Apr: A hesterna uberiore sanguinis depletione mutatio conspicua et fere mirifica, manum ei oblatam, hodie mane distinguere ægra potuit; cornea pellucidior et minus aspera; iris coloris magis sinceri; nullus oculi dolor. (*Sumat decimam partem grani oxym: hydrargyri*).

2 Maii. — Nox bona, sed dolores scindentes in oculo sentiit. Epiphora. (*Superdetur palpebris fomentum ex infuso belladonnæ cum gr: jj sublim: corrosivi pro uncia aquae*).

4 Maii. — Palpebræ a fomento nonnihil irritatae: heri ante diluculum oculus acerbe doluit, hodie nocte et die doloribus caruit. Facultas videndi revertitur, ægra digitos numerare potest, conjunctivæ rubor longe et longe dilutior, sclerotica quoque multo minus rubra: iris coloris pallide cærulei. Pupilla a fomento belladonnæ diffusa. (*Perstet in usu fomenti cum sublim: corrosivo, et in sublimato corrosivo interne*).

8 Maii. Dolor, epiphora, et photophobia prorsus evanuerunt, pupilla dilatata, cornea pelluciditatis fere naturalis, abscessulus corneæ sensim sensimque fatiscit, tantum in sede ejus, album punctulum visitur. Visus adhuc corruptus. Fomenta, cutem palpebrarum valde irritant. (*Absquæ remediis*).

Remansit in Schola usque ad 22 diem Maii, donec scilicet facultas videndi prorsus restituta fuisset. A decima Maii, usque ad vigesimam, gracilis ægra sumpsit mane, grana duo chinini sulphurici; vespere vero, alternis diebus, granum unum aloes, ei porrectum est.

Iritis cum incipiente hypopyo.

1 Maii 1846. Ancilla 18 annorum, compagis robustæ, habitus quidquam lymphatici, gravioribus morbis nunquam obnoxia fuit: hieme anni præteriti, uterque oculus, per hebdomades duas ei doluit, malum tamen, ab adhibito collyrio quodam disparuit, sine subsequa noxa.

Quindecim circiter diebus abhinc, male videre ex oculo sinistro cœpit, quin oculus, agente ægra, doluisset vel rubuisset. Post hebdo-

maden, ad emendandam videndi facultatem, collyrium quoddam ex femina accepit, ex quo malum exasperatum est, oculus rubuit et doluit. Malo ingravescente, in Scholam se contulit 1. die Maii 1846.

Symptomata præ ceteris conspicua sunt: rubedo cyanodes scleroticæ, color *viridescens* iridis, quæ in sano oculo cæsia est, dolor oculi ab actione lucis, et epiphora. Pupilla suæ formæ est, tamen aliquantum justo contractior, et admodum ægre movetur. Visus nebulosus, in ima camera inferiore vestigium hypopii visitur. Postremam noctem male peregit ægra, ob dolores oculi affecti, qui lacrymis assidue madet. (*Cucurbitæ sex tempori, nuchæ, genæ. Sulph: sodæ ℥j. — Cubet capite sublimi*).

19 Maii.—A cucurbitis, magnum levamen expertam esse, ægra ait. Nulla tamen conspicua mutatio in oculo. (*Venaesectio ℥j. — Sanguis crustam retulit*).

20 Maii. Noctem bene, sine doloribus transegit. Conditio oculi tamen non mutata. Pulsus 75. (*Infricentur in ambitu oculi dr: ij ungu: neapolit: cum belladonna. Sulph: sodæ ℥j*).

21 Maii. Nocte oculus doluit, quod ægra frictioni tribuit. Quater deiecit. Conditio oculi eadem, pulsus 75. (*Frictio mercurialis*).

22 Maii. Oculi dolor, et cetera symptomata perstant. (*Rp. Oxymuriatis hydr: gr: β. Aq: destill: ℥vj. S. D. S. mane et vespere cochlear cibarium. Perstet in frictione*).

23 Maii. Idem. (*Hirudines XX in ambitu orbitæ, oxymurias hydrargyri. — Abstineat a frictione*).

24 Maii. Multo melius: dolor fere nullus. Oculus melius perfert lucem, visus clarior, sed rubedo scleroticæ eadem; nulla tamen vestigia hypopii. (*Therapia eadem*).

25 Maii. Melius: rubedo scleroticæ longe dilutior, et visus clarior, pupilla potius diffusa quam contracta, color iridis naturalior. (*Idem*).

29 Maii. Quotidie melius, vix aliqua scleroticæ rubedo, iridis motus expediti et color naturalis. (*Abstineat a remediis*).

1 Iunii. Dimissa est, ea conditione ut oculum per aliquot dies a nimia luce protegat, et a nimis se laboribus temperet.

Microphthalmus cum colobomate iridis et strabismo.

Ocularis illius connatae deformitatis, cujus primum exemplum *Albinus* protulit (*Zeis*), et cui *Waltherus colobomatis* iridis nomen imposuit, spectabilissimum quoque exemplum vidimus in operario annorum triginta trium, tecta viridi colore, ut mos est, inficiendo, sibi victum comparare solito, et propter lippitudinem pruriginosam, vere anni 1846 Scholam adeunte. Insolita et turpis adeo erat hominis hujus facies, ut populo quodammodo esset admirationi, ne dicam risui: strabo erat, dentibus carebat, nasum simum, distortum, et a perpessa olim laceratione, cicatricosum habebat, tandem oculis carere dicebatur, pulchrum enim, in utroque oculo offerebat exemplum *microphthalmi cum colobomate iridis*. Quum igitur de connata oculorum aegritudine profecto non communi ageretur, sollicite omnia, ad hunc aegrum pertinentia, collegimus, quae sic fere sunt: uterque oculus fere triente erat justo minor, videbaturque quodammodo de inferiore oculi segmento aliquid deficere, deorsum enim uterque oculus erat complanatus, planam nempe et non convexam figuram referebat: sclerotica ibidem quodammodo erat extenuata, et ora ejus pericornealis, quasi in corneam, limite minus certe definito, transibat. Oculos ita constitutos, in orbita altissime abactos, palpebrae magna ex parte contegebant, fere

recondebant, patente tantum angusta palpebrarum rima, per quam ocelli translucebant.

Iris, coloris ex flavo-caesii, haud integrum referebat annulum, quippe quae *deorsum* et quidquam *introrsum* erat interrupta, perinde ac si particula inferioris segmenti ejus, fuisset excisa; pupillaris inde ora, caeterum naturalis, qua parte iridis defectus aderat, ferme sagittae in modum deorsum et introrsum transcurrebat. Praeternaturalis iridis rima, in utroque oculo, quoad directionem erat symmetrica, nonnihil vero quoad figuram differebat: in oculo scilicet dextro, colobomatis orae, lineam a se invicem fere distantes, et in toto itinere *aequidistantes*, corneae limites transgrediebantur, quin locus, quo iterum se conjungerent, persequi posset, iis verisimiliter ultra ciliarem orbiculum in ipsam choroideam transcurrentibus ¹. In oculo vero sinistro, orae colobomatis, ex pupilla versus corneae circumferentiam nonnihil *convergebant*, insimulque *citra corneae limitem* coibant, facta iterum eo in loco iridis unitate. (*Coloboma imperfectum.*)


Pupillae, pro vario lucis gradu naturaliter se contrahebant et diffendebant, et nil praeter naturam penitiores oculi partes offerebant.

Oculus dexter, propter insignem eumque convergentem strabismum insignemque myopiam, nullius ferme erat usus; sinister vero oculus, qui strabo haud erat,

¹ Ammon, Zeitschrift für die Ophthalmologie. V. I. p. 59.

bene ita suis respondebat muneribus, ut se arti homo dedisset, profecto periculosae et gravi, quippe quae aestate, fulgenteque sole tantum, absolvitur, et quae profecto, tum ad colores scite temperandos, tum ad repercussos solis radios sustinendos, tum denique ad lapsus ex alto praecavendos, acrem desiderat oculorum aciem. Haec autem calamitas jam semel huic contigerat homini, qui, sive fortuito aversoque fato, sive potius ob oculorum vitium, unde periculis arcendis impar esset, jam pluries in magna et praesentissima conjectus fuerat vitae discrimina: adhuc puer scilicet, vehementem calcitrantis equi ictum media in facie sustinuerat, naso inde sic dilacerato, ut totus nunc cicatricosus, deformis, simus, dextrorsum distortus, perpessae jam dudum gravioris noxae perpetua vestigia prae se ferat. Juvenis, denuo in facie adeo vehementer ab equo percussus fuerat, ut, novem exturbatis maxillae superioris dentibus, ob magnam haemorrhagiam, et inflammationem, postmodum gravissime decubisset. Incolumis tamen quum evasisset, suis iterum plures per annos incumbens laboribus, vix non mortem sua in arte quoque, semel reperit: aestate enim anni 1843, declivi altoque ex tecto, fallente vestigio, in terram delapsus est, faciem iterum contudit, pectus concussit, et plures per hebdomades deinceps in anticipi vitae conditione decubuit; reiteratis vero venaesectionibus, ex vitae discrimine iterum vindicatus est. Modo bene valet, tecta tingit, plebis derisionem lepide sper-

nit; sed a tribus hebdomadibus lippitudine laborat, contra quam, suadente vetula, tepente lotio incassum palpebras foverat. Unguento citrino, brevi restitutus est.



C A T A R A C T A.

(*Vide tabulam adnexam.*)

Duodecim viri, et totidem mulieres, (octo in utroque, sexdecim in uno tantum oculo,) cataractae operationem subiverunt: operationes igitur cataractae, summatim, fecimus triginta duas.

Ex his, viginti per extractionem, (superiorem, inferiorem, lateralem,) duodecim per reclinationem factæ sunt.

Faustus, in casibus viginti quinque, infaustus vero in casibus septem, fuit eventus.

Ex infaustis casibus unus, ad reclinationem, quæ subiritidem cum atresia pupillae suscitavit, pertinet: caeteri sex infausti casus pertinent ad extractionem, quæ ter, propter iritidem, ter propter ophthalmitidem purulentam, male cesserunt.

Praetermissis fortuitis causis, loco et tempori quandoque pertinentibus, momenta, ex quibus infaustus chirurgicarum administrationum eventus pendet, plerumque, vel aegro, (ejus nempe constitutioni et peculiari adfectae partis conditioni pathologicae,) vel ipsi chirurgo, profecto, spectant. In curatione chirurgica cataractae, de qua tantum, nunc sermo est, non raro equidem ipsi artifici, improsperi eventus fortasse sunt

N ^o	Conditio aegri et patria.	Aetas.	Quamdiu laborat.	CATARACTA.	OPERATIO.	Venesectio quoties?	Hirudines quoties?	Auxilia alia quae?	Vomitus?	Dies operationis.	Dies dimissionis.		ADNOTATIONES.
											Sanatus.	Non sanatus.	
1.	Rusticus Gubernii Poltaviensis.	50	4 ann.	Cataracta lenticularis dura in utroque oculo.	Extractio superior cataractae oculi sinistri.	VS. mane et vespere 1-ae diei.	—	Sulphas sodae.	—	23 Aug.	28 Sept.	—	Sanatio sine ophthalmite: sed supremum iridis segmentum vulnere obversum, cicatrici corneae quidquam adhaesit: pupilla inde deformis remansit, vitium a superiori palpebra absconditum. Facultas videndi bona.
2.3.	Rusticus Gubernii Ekatherinoslaw.	35.	8 ann.	Cataracta in utroque oculo fluida cum nucleo.	Extractio lateralis cataractae utriusque oculi.	VS. $\frac{3}{5}$ xvj, 1-a die.	—	idem.	—	In oculo sinistro 23 Aug.—In oculo dextro 4 Sept.	26 Sept.	—	Extractio obtinuit absque labore, incisa cornea extrorsum et deorsum. Quam nucleus cataractae, partim fluidae, mediocri magnitudinis fuisset, necesse fuit secare totum dimidium segmentum corneae: nulla phlogosis, nec post operationem oculi sinistri vena secta est.
4.	Rustica ex Danilowka.	60.	3 ann.	Cataracta lenticularis dura in oculo dextro. Cataracta immatura in oculo sinistro.	Extractio superior cataractae oculi dextri.	VS. 1-a die.	—	idem.	—	10 Sept.	7 Octob.	—	Omnino nulla phlogosis: discessit nondum exacto mense, pupilla suae formae, pura, visu optimo.
5.	Rustica Gubernii Voronesch.	17.	7 ann.	Cataracta arida siliquata in utroque oculo.	Extractio superior cataractae oculi sinistri, hamuli ope.	VS. 1-a die.	—	Sulphas sodae. Chininum.	—	13 Sept.	22 Nov.	—	Cataracta membranacea, siliquata, nucleum sat grandem gerebat: incisa sursum cornea extractio facta est hamulo ophthalmico. Phlogosis nulla; superius vero iridis segmentum cicatrici corneae aliquantum adhaesit, quod vitium apparebat sub majori palpebrarum diductione. Visus valde bonus, sed per mensem et ultra, nimia fuit oculi sensilitas, puella enim erat scrophulosa: inde, ultra secundum mensem in schola retineri debuit, et chininum datum ei est.
6.	Rusticus ex Volczansk.	60.	5 ann.	Cataracta dura lenticularis in oculo dextro. Cataracta immatura in sinistro.	Extractio inferior.	VS. $\frac{3}{5}$ xvj, 1-a die.	—	Aloës.	—	26 Sept.	30 Octobris.	—	Vulnus quidquam justo brevius evasit, et forcibus dilatari debuit; oculus tamen sanationem recepit omnino sine phlogosi, sine hirudinibus, secta semel tantum vena. NB. Aeger denuo scholam visitavit die 28 febr: 1846; oculo curato egregie utebatur, et aciculam facile discernere poterat.
7.8.	Rustica Gubernii Kursk.	54.	6 ann.	Cataracta in utroque oculo capsulo-lenticularis dura.	Extractio superior utriusque cataractae eodem die.	VS. $\frac{3}{5}$ xvj, 1-a die.	—	Aloës.	—	30 Octob.	22 Nov.	—	Oculi satis eminentes, se extractioni bene praebant: — nulla phlogosis sequuta est: ampla corneae sectio facilem exitum cataractis praebuit. Visus utriusque oculi bonus.
9.	Rustica Gubernii Kursk.	40.	2 ann.	Cataracta matura in oculo dextro: immatura in sinistro.	Extractio inferior.	VS. 1-a die.	—	Sulphas sodae.	—	26 Sept.	15 Octobris.	—	Extractio facilis fuit, et nullam oculi inflammationem, nullum dolorem concitavit. Visus bonus.
10.11.	Rustica ex Konstantinograd.	35.	5 ann.	Cataracta fluida cum nucleo in utroque oculo.	Extractio lateralis cataractae utriusque oculi.	VS. 1-a die.	—	Sulphas sodae.	—	3 Octob.	3 Nov.	—	Nucleum fluido lacteo innatantem hamulo extrahere facile fuit; reliquae capsulae hamulo partim laceratae, partim extractae sunt: nulla phlogosis. Dimissa est post mensem, utroque oculo bene videns.
12.	Rustica Gubernii Kursk.	47.	7 ann.	Cataracta fluida cum nucleo in utroque oculo.	Extractio lateralis inferior cataractae oculi dextri.	VS. 1-a die. VS. 2-a die mane et vespere.	—	idem.	—	3 Octob.	22 Nov.	—	Nucleus fluido lacteo innatans multo grandius fuit quam crediderim: necesse igitur fuit vulnus corneae inflictum cultro capitato dilatare: chirurgia tamen tota recte processit, quin oculus vexaretur. VS. facta est 1-a die, et bis altera; sanguis enim quavis vice densam crustam prae se tulit, profecto ob intermittentem febrem, qua diu detenta aegra fuerat.
13.	Rustica Gubernii Kursk.	18.	ab infantia.	Mycrophthalmos cum cataracta arida siliquata in utroque oculo, ab infantia, post variolas vehementiores.	Extractio lateralis inferior cataractae oculi dextri, hamulo.	VS. 1-a die.	Hirudines 3-a die.	Collyrium belladonnae. Sulphas sodae.	—	11 Febr.	19 Apr.	—	Pars capsulae hypertrophicae, firmiter in circumferentia sua adhaerens, extrahi non potuit, et in sede relicta est: post trigesimam diem, magnum capsulae fragmentum, prius in pupilla, dein in parte ima camerae anterioris haesit, et pupilla, magna ex parte clara, visui bono patuit. Phlogosis gravis sequuta non est, sed quaedam irritatio, quae hirudines desideravit. Moles oculi justo minor erat. — Caecitas, post variolas locum habuisse videtur.
14.15.	Urbanus ex Gubernio Kiovie.	68.	3 ann.	Cataracta capsulo-lenticularis oculi dextri; immatura sinistri.	Extractio superior.	VS. 1-a die mane et vespere.	Hirudines 3-a die: cucurbitae cruentae die 4-te.	Fomenta ex infuso belladonnae. Sulphas sodae.	—	3 Sept.	—	28 Sep.	Extractio laboriosa; cataracta praegravida; vulnus justo brevius: pars corticalis cataractae in oculo remansit. Initio tertiae diei conjunctiva in chemosin serosam erat sublata, et quarta die cornea jam purulenta. Aeger athleticus fere habitus, dolorem in oculo vulnerato nullum sensisse semper asseruit: decepti, oculum non nisi mane tertiae dies inspectavimus, sed jam nimis sero.
16.	Rustica ex Surziusk.	58.	2 ann.	Cataracta dura capsulo-lenticularis utriusque oculi.	Extractio superior cataractae oculi sinistri.	VS. 1-a et 2-da die.	Cucurbitae 2-a, 3-a, et 4-a die.	Fomenta frigida ex infuso belladonnae.	—	10 Octob.	—	19. Dec.	Oculi in orbitis valde abacti.— Sectio corneae justo brevior forcibus obtuse mucronatis latior reddita est.— Chirurgia valde laboriosa.—Chemosis cum suppuratione corneae et subsequente oculi tabe.
17.	Rustica ex Birutsch.	65.	5 ann.	Cataracta dura capsulo-lenticularis utriusque oculi.	idem.	VS. 1-a die.	Hirudines 3-a die.	Calomel. Frictio cum ungu. hydr: et belladonnae.	—	26 Sept.	—	8 Dec.	Suborta iritis pupillam imperviam reddidit.
18.	Rusticus ex Bogoduchoff.	60.	3 ann.	Cataracta fluida cum nucleo oculi dextri.	Extractio lateralis nuclei et capsulae.	VS. 1-a die.	Cucurbitae.	id.	—	17 Aprilis	—	31 Maii.	Iritis cum exudatione sanguinea et hypopyo. (V. p. 336).
19.	Rustica Gubernii Kursk.	54.	3 ann.	idem.	idem.	VS. 1-a die.	Hirudines 2-a et 3-a die.	Fomenta frigida ex infuso belladonnae.	—	9 Nov.	—	2 Feb.	Subiritis: pupilla impervia. NB.—Tertio mense, quam ad operationem oculi dextri jam accedere in animo esset, repente aegra correpta est pneumonide dextra, ex qua periit 9 a die.
20.	Rustica ex Novo-Oskol.	35.	2 ann.	Cataracta fluida cum nucleo in utroque oculo.	Extractio superior cataractae oculi sinistri.	VS. $\left. \begin{array}{l} 1-a \\ 2-a \\ 4-a \end{array} \right\}$	Hirudines 3-a die: — cucurbitae.	Sulphas sodae. Fomenta frigida ex infuso belladonnae. Calomel.	—	30 Aprilis	—	23 Iunii.	Usque ad tertiam diem symptomata gravia non dabantur: nocte quarta dolores moti sunt vehementes, et subsequente die oculus intumuit cum chemosi serosa, et suppuratione corneae.
21.	Rusticus Gubernii Poltaviensis.	60.	5 ann.	Cataracta lenticularis oculi dextri. Tabes oculi sinistri.	Reclinatio per scleroticam.	VS. 1-a die.	$\left. \begin{array}{l} 6-a \\ 12-a \\ 20-a \end{array} \right\}$ Hirudines.	Frictio mercurialis cum belladonna. Calomel.	—	23 Aug.	—	20 Octobris.	Subiritis pupillam imperviam reddidit.
22.23.	Miles ex Volczansk.	60.	3 ann.	Cataracta capsulo-lenticularis utriusque oculi.	Reclinatio utriusque cataractae per scleroticam.	VS. 1-a die.	—	Sulphas sodae.	—	23 Aug.	26 Sept.	—	Nulla phlogosis: visus in utroque oculo apprime restitutus:—nec dolor, nec vomitus operationem exceperunt.
24.25.	Rusticus ex Riazan.	9	ab infantia.	Cataracta membranacea utriusque oculi cum nystagmo.	Discissio utriusque cataractae per scleroticam, cum reclinatione.	—	Hirudines 2-a die.	Sulpha sodae.	—	30 Octob.	9 Nov.	—	Cataractae, discum parum opacum referant: aegrotulus igitur etsi imperfectissime, tamen aliquantum videbat. Secunda die mane dolor in utroque oculo motus est, qui admotis hirudinibus prorsus disparuit, neque amplius rediit. Omnino nulla phlogosis.
26.	Rustica ex pago Kaban.	50.	3 ann.	Cataracta duriuscula capsulo-lenticularis utriusque oculi.	Reclinatio cataractae oculi sinistri.	VS. 2-a die.	—	Sulphas sodae.	Nausea levis prima nocte.	30 Octob.	22 Nov.	—	Vix aliquis dolor post operationem: vena, altera die secta est ob plenitudinem pulsus, plethoram indicantis.
27.28.	Rustica.	50.	4 ann.	idem.	Reclinatio utriusque cataractae.	VS. 5-a die.	Hirudines 6-a die.	Aloës. Limentum belladonnae.	Vomitus, 2-a die.	11 Febr.	23 Apr.	—	Quinta die inspectis oculis subiritidem oculi sinistri futuram timuimus: vena secta est, hirudines admotae sunt, et omne periculum disparuit.
29.	Rusticus ex Bogoduchow.	60.	3 ann.	Cataracta matura oculi dextri; immatura sinistri.	Reclinatio cataractae oculi dextri.	VS. 1-a die.	—	Sulphas sodae.	—	20 Maii.	3 Iunii.	—	Neque dolor, neque nausea: — visus valde bonus.
30.	Rustica ex Bogoduchow.	45.	3 ann.	Cataracta matura oculi dextri; immatura sinistri.	Reclinatio cum discissione.	VS. 1-a die.	Hirudines 2-a die.	idem.	Vomitus 1-a 2-a 3-a die.	20 Maii.	5 Iunii.	—	Magna capsulae lacinia ex superiori circumferentia pendula remansit, quin tamen visui officeret: oculus doluit usque ad quartam diem: —subsequentibus vero diebus prorsus sine dolore fuit, et sine tumbledine. Visus bonus.
31.32.	Rusticus ex Saratow.	49.	2 ann.	Cataracta utriusque oculi duriuscula capsulo-lenticularis.	Reclinatio utriusque cataractae.	VS. 1-a die. VS. 37-a die.	$\left. \begin{array}{l} 11-a \\ 32-a \\ 44-a \\ 51-a \end{array} \right\}$ Hirudines. Cucurbitae.	Tartarus stibatus, aconium, colchicum, calomel, frictio hyd: cum bellad. Chininum.	Vomitus 1-a die.	25 Iunii.	28 Sept.	—	Circa trigesimam diem, quam discessurus jam esset aeger, scleritis cum dolore, quavis nocte recrudescente, suborta est, quae hirudinibus, calomelano, frictioibus mercurialibus, colchico, aconito non cedebat; post duos menses tandem cessit usui chinini sulphurici ad scrupulum semis in die: visus bonus in utroque oculo.



tribuendi: modo enim chirurgus, vel eo peccavit, quod (*A*) operationem suscepit ubi ab illa abstineri præstitisset, (*B*) vel methodum adhibuit, quæ minus fuit opportuna, (*C*) vel tandem, et vel maxime, ipsam chirurgiam non satis bene peregit.

Mihi equidem fere in omnibus septem infaustis casibus, quos habuimus, in unam vel aliam partem (*A*, *B*, *C*) peccasse, persuasum est. (*A*) In casu scilicet Tab. 19, constitutio aegrae erat labefactata, et etiamsi aegra valde non esset extenuata, tamen coloris erat cum livore pallidi, vehementibus capitis doloribus, usque ad postremum tempus obnoxia fuerat, tandem syphilis quoque erat suspicanda, sicuti innotuit tantum post factam jam operationem, et post infaustum ejus exitum. Consultius igitur fuisset, operationem illam prorsus non suscepisse.

(*C*) Quoad agendi modum in absolvendis his chirurgiis, equidem in omnibus fere infaustis casibus, chirurgia difficilis fuit et laboriosa, oculi plus minus vexati sunt, et illorum igitur laesio, non adeo simplex et innocens fuit, sicuti esse deberet ubi cataracta, præcipue per extractionem, curatur. Casus tantum unus, paulo infra exponendus, improspere cessit, etsi chirurgia omnino recte processisset.

Inter difficultates, quæ mihi in recte absolvendis operationibus istis infaustis, obviam venerunt, præcipua sane difficultas posita fuit in secundo corneae vulnere justae magnitudinis; vulnus enim, plerumque brevius quam debuisset, evasit. Ob vulneris brevitatem

igitur, cataracta non nisi cum labore ex oculo evocari potuit, iris, sub exitu cataractae, vexata est, attrita est, corticalis pars lentis in oculo haesit. His in casibus vulnus, vel forficibus, vel keratotomo obtuse mucronato ampliare suevimus, laesio, quae ab oculo subinde bene perfertur, subinde vero eum non mediocriter vexat.

Aliud momentum, quod chirurgias istas quodammodo interceptit, fuit difficultas, in quam aliquoties offendimus, cultrum satis ultro propellendi, ut pars summa corneae, uno cultri ductu, secaretur. Accidit scilicet subinde, ut transfixa jam interno in cantho cornea, culter impellenti manui non obtemperaret: quum igitur nimia his in casibus vis adhibenda fuisset, vix fieri potuit, quin sectio laboriose procederet, et sub pressione atque impulsione cultri, oculus vexaretur.

Sciendum tamen est, has difficultates, quae his in operationibus nos summopere premebant, fortasse uni praecipue causae esse tribuendas, maximae scilicet oculorum profunditati, quae Rossicae stirpi propria est: habent enim nostrates, oculos valde in orbitis abactos, margines orbitales multum extantes, ita quidem, ut raro hic locorum contingat homines videre, qui oculos eminentes et extrahendae cataractae revera idoneos offerant. Propter hanc causam, in cataractae extractione, saepissime corneae sectionem, duplici, ut ita dicam, tempore absolvere cogimur, prius nempe keratotomo vulnus quam fieri potest altum, corneae infligimus, dein illud cultro, vel forficibus ampliamus.

(B) Quoad genus chirurgiæ singulo in casu adhibitum, vetus et tritissimum, apud auctores vix non omnes reperiendum, est praeceptum illud, *recte statuendarum indicationum omnium*, quae in singulo cataractæ casu, verum chirurgum, ad suscipiendam unam prae alia methodo, adigere debent ¹. Ego autem fere contendere ausim, in praecepto statuendarum indicationum, ad varias cataractae operationes pertinentium, multam sibi partem arbitrium adrogare, et praeceptum, pene dixerim, non raro magis speciosum esse, quam verum. Credere enim fas est, unicuique oculo medico hacce in re *velle suum esse*, unicuique scilicet, innatam quodammodo esse, vel ex variis eventibus acquisitam, in unam prae altera methodo, proclivitatem. Quis est qui inficias ibit, inter celeberrimos nostri temporis artis peritos, extractionem *Jaegero* et *Rosasio* magis in acceptis esse, quam *Chelio*? Quis inficias ibit, *Sichel* ² lubentius acum, quam cultrum, adhibere? Quis est qui nesciat, etiamnum dari artifices, qui, in quovis cataractae casu, semper et indiscriminatum acum, nunquam cultrum adhibent? Quis est denique, qui ignoret, artis peritos dari, qui in juventute alteri, alteri in virilitate, in senectute tandem alteri

¹ *Sichel* nuperrime argumentum hoc iterum multis verbis agitavit. *Annales d'Oculistique. 1845. Aout. Sept: Octob:*

² *Sichel*, l. c. p. 160. scripsit, se cataractas *duras* semper deponere: (*abaissement*, (?) *quelques soient l'individu* (?) *et la constitution.*) Cur vero harum cataractarum extractionem adeo timeat, non inveni.

methodo se totos dedisse, et per has vicissitudines, cujuscumque methodi difficultates et infaustos eventus, palam fecisse?

Mihi igitur verius loqui videor, asserendo, me, ex triginta duabus cataractae curationibus, vigesies extractionem praetulisse, non propterea, quod in singulo eorum casuum tales indicationes praesto fuerint quae *omnino* et *necessario* extractionem postulaverint, et operationem per acum omnino prohibuerint; sed, tum propterea praetulisse, quod in cataractæ curatione, extractio, ubi saltem possibilis sit, mihi semper visa est cæteris methodis præferenda; tum propterea, quod major cataractarum numerus extrahi posse mihi videtur; tum denique propterea, quia verisimile est, quod improsperi extractionis eventus sæpius ipsi chirurgo sint tribuendi, quam ipsi methodo; oculus enim, læsionem ad cataractæ extractionem necessariam, mirum in modum perfert, dummodo læsio illa, citra *omnem vexationem oculo fuerit illata*, dummodo præcipue, corneæ vulnus tantæ sit magnitudinis, ut cataractæ exitus, citra omnem vim, et fere spontaneo modo, contigat.

Ad curationem therapeuticam, quam post operationem adhibuimus, ex primo tabulae synopticæ intuitu videntum est, nos fomenta frigida vix adhibuisse; fere in quovis casu venæsectionem, mox post operationem, instituisse. raro autem pluries reiterasse. Ubi chirurgia laboriosa forte fuisset, et ægri constitutio majorem sanguinis depletionem perferre potuisset, venæsectionem

primam largiorem facere suevimus (Σxvj—xviiij): plerumque vero, ubi venæsectio prima et altera ad præcavendam oculi purulentam phlogosin satis non fuerunt, a tertia venaesectione abstinuimus. Nobis enim plerumque visum est, posteriores tum sanguinis depletiones, tum quaecumque alia antiphlogistica auxilia, et frigida fomenta quoque, vix unquam posse antevertere ophthalmiden nascituram, statim atque indicia ejus, etsi obscurissima, jam præsto sint: simul ac margo palpebræ superioris nonnihil tumidulus factus sit; simul atque oculus ex orbita nonnihil eminere videatur, et circa internum oculi canthum materiæ mucosæ quidquam hæreat; simul atque acris dolor oculum occupet, et sicca fiat ægri cutis, et nonnihil concitator fiat ægri pulsus, irreparabilis et nullis auxiliis anteveretenda, ut plurimum est oculi jactura, viresque ægri superfluis atterere venæsectionibus, inconsultum est.

Hirudines, vel loco illarum, cucurbitæ scarifactæ circa oculi regionem, genæ, collo et cervici affixæ, frequentius post operationem acu, quam cultro factam, adhiberi debuerunt. (*Vide Tab.*)

Iridis gangræna, et corneæ suppuratio, plerumque circa tertiam, vel quartam diem, inter aliquod horas subinde evolvi vidimus. Oculi enim mediocriter chomatice, qui mane tertiæ vel quartæ diei adhuc pellucidam corneam et integram adhuc iridem obtulerunt, vespere jam longe insignius tenebant, et pro cornea et iride, escharam necroticam offerebant.

Neque tamen absentia dolorum, et normali pulsus conditioni semper fidendum est; saltem in hominibus rudioribus, qui, vel dolore revera non afficiuntur, vel medicum decipiunt. Sequens morbi historia casum refert cataractæ infausto eventu extractæ, quam scilicet iritis sequuta est, quin æger vel dolorem unquam accusaverit, vel mutationem in pulsu ostenderit. Est unus ex infaustis casibus hujus anni, in quo vix equidem culpanda chirurgia fuisse videtur, quæ nempe nullo labore absoluta est. Agebatur de cataracta *fluida cum nucleo*; et casus fere confirmare videtur opinionem illorum, qui fluidas cataractas cachecticis, ideoque operationi minus opportunis hominibus innasci opinantur. Cataractæ autem aut partim, aut omnino fluidæ, hic locorum sunt frequentissimæ; non in aetate juvenili, cui hoc cataractæ genus plerumque tribuitur, sed multo magis in ætate senili. Has cataractas extrahere solemus, vix enim possibile est reclinare nucleum, qui fluido innatat, et qui ab effuso, vix sauciata capsula, lacteo latice, absconditur.

Cataracta oculi dextri fluida cum nucleo. — Extractio. — Iritis cum exsudatione sanguinea et hypopyo, absque dolore et absque pulsus mutatione.

Agricola annorum 60, constitutionis firmæ, ante annos quindecim inflammationem genu dextri passus est, quæ secta vena recessit. Ante annos quinque febre quadam gravi, cum vehementissimis capitis doloribus, laboravit: tum per mensem sensibus amissis jacuit, eique supra fornacem cubanti accidit, ut in cubito et humero dextro ambulationem retulisset, quin id sensisset: hujus infortunii testes etiamnum

sunt cicatrices loci pridem ambusti. Quum tandem in se rediisset, ex brachio et femore dextro, quatuor per menses paralyticus fuit: sensim vero, resolutorum artuum sensum et motum recuperavit.

Tribus annis abhinc, forte ex vetula quadam, cum intuente, rusticus rescivit, se in dextro oculo cataractam gerere, cujus rei suspicionem nunquam prius habuerat.

Ante annum circiter, sinistro quoque oculo male cernere cœpit, incremente hucusque cæcitate.

Dextro igitur oculo omnino cæcus, lucem tantum discernens, sinistro vero oculo ad cæcitatem properans, rusticus Scholam adiit, 16 Aprilis 1846.

Cataracta oculi dextri, est *fluida cum nucleo*: sinistri oculi cataracta est coloris ex flavo luridi, concava, scutulam striatam quasi refert, et rarum exemplum præbere videtur cataractæ *capsularis posterioris*. Aeger, sinistro oculo adhuc satis videt, omnia vero ei nebulis suffusa videntur, neque res minoris molis distinguere potis est.

18 Aprilis, extractioni subjectus est. Keratotomo vulnus in corneæ circumferentia inflictum est, quod non totam dimidiam corneam, sed corneæ tridentem partem, plus minus, secaret: eodem tempore quo cornea secta est, apice keratotomi, capsula quoque incisa est, et lacteum fluidum mox cameras implevit, et ex vulnere effluxit: nucleus quoque, coloris succini, durus, glaber, parvus, fere inter vulneris oras hæsit, et ex oculo, hamuli ope, facillime promoveri potuit. Capsula, cancellatim opaca, in sede sua hærens, hamulo arrepta, adeo firmiter in circumferentia se adhærentem præbuit, ut ex vinculis suis divelli haud potuerit; totus enim oculus tractionem sequebatur: quamobrem, hamulum rotando, magna lacinia ex capsula evulsa est, patente hiato, per quem mox omnia circumposita bene discernere homo potuit. In extractione totius capsulæ perstare nolimus, ne oculus nimis læderetur. Tota chirurgia autem, recte et faciliter processit, quum iris, vel quomodocumque oculus vexarentur. — Palpebras utriusque oculi tæniolis adhæsivis clausimus.

Post horam, sanguinis uncias XIV robustissimo homini extraximus. Vespere, nullus dolor, parum lacrymarum, pulsus 60.

2-a die. Magnam noctis partem dormivit: nullum dolorem accusat, calor et pulsus naturales. (*Sulphat: sodae ℥j*).

3-a die. Nox bona: pulsus et calor naturales: nullum omnino dolorem oculi æger accusat: sed limbus superioris palpebræ nonnihil tumidulum se præbuit: perlustrato oculo, colorem iridis mutatum invenimus, idque præcipue apparuit facta comparatione cum iride alterius oculi; hæc enim colorem fuscum, ei naturalem, in oculo vero vulnerato colorem obsoletum, ad flavum vergentem obtulit; pupilla nonnihil suffusa, tamen non contracta: sclerotica rosea rubedine tincta: in parte infima cameræ anterioris, exilissimum hypopyon. (*Hirudines XX in ambitu oculi. Tartari stibiati grana sex, ex unciis sex aquæ, quovis bihorio cochlearia majora tria*).

Vespere, nullus omnino dolor: pulsus et calor naturales: iridis conditio eadem: sclerotica intensius rubra. Non vomuit, bis dejecit. (*Cucurbitæ scarifactæ tempori, genis, collo et cervici: uncia semis unguenti hydrargyri cinerei cum extracto belladonæ, in ambitu orbitæ, per horas duas infricanda*).

4 die, nox bona: nullus dolor: annulus iridis minor, sanguineum colorem præbet: hypopyon ad altitudinem lineæ auctum: sclerotica ruberrima: vasa conjunctivæ turgidissima et ex atro-rubra, scleroticæ sunt instrata; valde rubra quoque, et muco inquinata, conjunctiva ocularis: — pupilla non coarctata, sed coagulo sanguineo oppleta Symptomata universa nulla: (*Calomel interne, et frictio mercurialis*).

5-a die, nullus dolor: limbus palpebræ superioris tumidior: circulus minor iridis, coloris intensius rubri; major, coloris luridi, flavescentis: — cætera eadem. (*Cucurbitæ scarifactæ in ambitu oculi. Frictio mercurialis. Calomelis grana duo, quovis trihorio*).






6-a die. Nullus dolor, hypopyon omnino disparuit, remanet tantum in ima camera parvus puris flocculus: circulus minor iridis minus rubet, rubor oculi dilutior: turgidissima vero conjunctivæ vasa, flexuoso itinere, usque ad marginem corneæ pergunt, quin in corneam trauseant.

Subsequentibus diebus, sanguinea iridis exsudatio, et grumus sanguinis, qui pupillam occupabat, lente, prorsus disparuerunt, et eodem passu pupilla coarctata est, donec ejus ora prorsus cancreverit.




ANNALS OF THE

[The text on this page is extremely faint and illegible. It appears to be a list or a series of entries, possibly organized in a table with multiple columns. The content is too light to transcribe accurately.]

N ^o	Conditio et patria.	Aetas.	MORBUS.	Chirurgia.	Auxilia adhibita.	Eventus.	ADNOTATIONES.
1	Rusticus Gubernii Voronesch. — In tabula lithographica Oculus I-us.	26	Leucoma corneae utriusque oculi cum synechia totius marginis pupillaris in utroque oculo.	Iridectomedia-lysis in utroque oculo.	Venaesectio prima die. Sulphas sodæ.	faustus.	Oculi dociles fuerunt, et chirurgia facilis; pupilla in oculo dextro a latere temporis, in oculo sinistro a latere narium fieri debuit. Sanguis, qui sub operatione cameras implevit, tertia die inspectis primum oculis, prorsus erat dissipatus: nulla phlogosis operationem sequuta est. In oculo dextro per novam pupillam visitur punctum album, <i>cataracta scilicet centralis capsularis</i> . Uterque oculus objecta etiam minora, v. gr. aciculam facile discernit.
2	Rusticus Gubernii Voronesch. — in tabula lithographica Oculus II-us.	13	Leucoma corneae oculi dextri cum synechia totius marginis pupillae. Staphyloma totale oculi sinistri.	Iridectomedia-lysis in oculo dextro.	Sulphas sodæ.	faustus.	Oculus nonnihil indocilis fuit, potuit tamen chirurgia sine magno labore absolvi: sanguis, sub evulsione iridis ab orbiculo ciliari in cameris effusus, prorsus erat dissipatus 48 horis post chirurgiam; nulla omnino inflammatio; neque hirudines, neque fomenta frigida. Ex figura pupillae novae, quae parallelas margines habet, suspicari primo intuitu posset, factam fuisse corectomiam et non iridodialysin.
3	Rusticus Gubernii Voronesch. — In tabula lithographica Oculus III-us.	18	Leucoma corneae oculi dextri cum synechia totius marginis pupillaris. Staphyloma corneae et orbiculi ciliaris oculi sinistri.	Iridectomedia-lysis.	Sulphas sodæ.	faustus.	Oculus admodum indocilis contineri sub operatione debuit hamulo ophthalmico, perinde ac in operatione strabismi. Operatio bis reiterata est: prima vice iris ab orbiculo ciliari quidem soluta est, sed ex hamulo excidit prius quam excidi potuisset, quamobrem iris iterum in sedem suam fere se restituit. Post mensem reiterata est operatio: iris ab orbiculo ciliari jam soluta, hamulo excepta est, et per vulnus, denuo in margine leucomatis factum educta, excisa est. Chirurgia apprimè successit sine phlogosi: praeter eccoprotica, nulla alia remedia adhiberi debuerunt.
4	Rusticus Gubernii Voronesch. — In tabula lithographica Ocul: IV-us.	27	Leucoma centrale corneae oculi sinistri cum synechia fere totali marginis iridis. Staphyloma globosum, magnum corneae oculi dextri.	Corectomia a latere temporis. Excisio staphylomatis oculi dextri.	Sulphas sodæ.	faustus.	Omnino nulla phlogosis operationem excepit: visus per novam pupillam apprimè restitutus.
5	Rusticus Gubernii Poltavien-sis. — In tabula lithographica Ocul: V-us.	26	Leucoma centrale oculi sinistri cum synechia fere totius marginis pupillae. Staphyloma oculi dextri.	Corectomia in cantho externo.	Venaesectio die operationis. Sulphas sodæ.	faustus.	Chirurgia facillima; phlogosis omnino nulla; die decima dimissus est aeger bene videns: quum juvenis et robustus esset vena secta est die operationis:— ceterum praeter eccoproticum nullum aliud remedium.
6	Rusticus Gubernii Voronesch — In tabula lithographica Ocul: VI-us.	45	Pseudomembrana in pupilla oculi dextri: atresia pupillae oculi sinistri.	Corectomia a latere interno oculi dextri	Sulphas sodæ.	faustus.	Pseudomembrana in situ remansit: margo iridis mediocriter pseudomembranae adhaerens, hamulo ophthalmico arreptus, ab illa faciliter divelli, extrahi, et excidi potuit. Oculus consauvit sine phlogosi et sine dolore, et aeger per novam pupillam distinguere parvam aciculam poterat. Discessit XII-a die.
7	Plebæus Char-coviensis.	70	Leucoma oculi dextri cum synechia totali marginis pupillaris. — Iris a praegressa ophthalmitide extenuata, mollita; suspicio cataractae: aegre lucem a tenebris distinguit. Staphyloma totale oculi sinistri.	Iridectomedia-lysis.	Venasectio prima die. Sulphas sodæ. Collyrium argenti nitrici.	infaustus.	Oculus jam secunda die ab operatione ophthalmoblenorrhoea correptus est: aeger sub operatione tam docilis fuit, ut oculus omnino sine sensu videretur: iris erat extenuata et a praegressa iritide mollita: excisa particula iridis, per novam pupillam cataracta apparuit, quam reliquimus, ne oculus nimis laederetur, vix enim sauciata, ad immittendum in cameram hamulum, cornea, flaccidus evasit oculus, et cornea subsedit.
8	Rustica Gubernii Charcovtensis.	23	Leucoma utriusque corneae cum adhaesione totius marginis pupillae in oculo sinistro; fere totius in oculo dextro.	Corectomia in cantho externo oculi dextri.	Venaesectio prima die. Hirudines sex die sexta. Sulphas sodæ.	faustus.	Oculum dextrum, cujus pupilla non omnino erat impervia, non curavimus; operatio facta fuit tantum in oculo sinistro omnino obcaecato propter synechiam totius marginis pupillae: adhaesiones tenues erant, ideoque divelli hamulo potuerunt sub corectomia. Chirurgia non fuit laboriosa. Nulla omnino phlogosis. Sexta die quum nonnihil ruberet conjunctiva et doleret tempus, in ambitu orbitae affixae sunt sex hirudines. Exiit XV-a die bene videns.
9	Miles ex coloniis militaribus Ucrainae.	35	Leucoma oculi sinistri cum synechia partiali. Tabes corneae oculi dextri.	Corectomia a latere temporis in oculo sinistro.	Sulphas sodæ.	faustus.	Iris, ope volsellæ Blömeri ex oculo producta et excisa, pupillam praebuit, nec minus, nec nimis quam par est amplam: a vulnere neque phlogosis, neque dolor.—Exiit X-a die optime videns. Docilissimus fuit et chirurgia facilis.
10	Miles ex Stauro-poli.	49	Sequelae iritidis; pupilla contracta et pseudomembrana occupata; cornea nebulosa: idem vitium in utroque oculo, sed gravius in dextro: oculo sinistro nonnihil discernit, etsi imperfectissime: fere nihil discernit oculo dextro.	Corectomia in oculo dextro a latere interno.	Sulphas sodæ.	faustus.	Margo pupillaris divelli a pseudomembrana, extrahi, et excidi potuit; chirurgia nec difficilis fuit, nec phlogosin, nec dolorem excitavit. Sed per novam pupillam non nisi corrupte videre aeger potuit ob corneae nebulositates, quae pupillae offuscabant: pupilla fortasse justo angustior evasit.



Portrait of a man



Portrait of a man

I

II

III

IV

V

VI

Post *quadragesimum* diem, dimisso ægro, ora pericornealis sclerotica, nondum rubedinis caeruleae prorsus erat immunis; impervia iris coloris erat flavescentis, textura ejus alienata; cornea erat naturalis, fere sine vestigio inflicti vulneris: oculus, vix lucem a tenebris distinguebat.



PUPILLÆ ARTE FACTÆ.

Ex adnexa tabula, quae pupillas per hunc annum arte factas synoptico intuitu offert, videre est, chirurgiam hanc undecies factam fuisse, quinquies per *iridectomedialesin*, sexies per *corectomiam*, decies feliciter successisse, semel ophthalmidem gravissimam et purulentam excitasse.

Tabula lithographica, sex hominum oculos, quibus pupilla nova, arte facta est, repræsentat.

Cæcitas, cui tollendæ, pupilla arte fieri debuit, nonies a leucomate corneæ cum synechia, modo *totius*, modo *fere totius* marginis pupillæ, pendeat: bis tantum, non ab opacitate corneæ cum synechia, sed a pseudomembrana pupillam post iritidem occupante, cæcitas proveniebat.

In uno casu (N. 1) post factam iridodialysin, inesse oculo vidimus *cataractam capsularem centram*, quæ albissimum punctum in media capsula referebat: eadem scilicet ophthalmia, quæ leucoma corneæ et synechiam induxerat, centram quoque cataractam excitaverat;

genus cataractæ, quod, fere nunquam absque socia quoque majori vel minori opacitate corneæ, mihi videre contigit.

In nullo ex decem faustis casibus, ab operatione, tam per corectomiam, quam per iridodialysin facta, phlogosis vel parum gravis mota est: hirudines semel tantum uno in casu admovimus: vena, tribus in casibus, paulo post operationem, prophylactico scopo potius quam necessitate, in ægris robustioribus et plethoricis, secta est.

Faustus eventus harum operationum, hocce anno quoque confirmavit id, quod quotannis vidimus, et profecto centies experti sumus, oculum scilicet, mirum in modum chirurgiam coremorphoseos sustinere, et quidem non tantum eam quæ fit per *corectomiam*, sed eam quoque quæ fit per *iridodialysin*, quamvis hæc, multo gravior sit habenda. Ubi coremorphosis non succedat, id profecto a mala oculi conditione plerumque evenit: minus fauste scilicet succedit chirurgia illis in casibus, in quibus, a prægressa inflammatione, quæ caecitatem induxit, iris et ceteræ oculi membranæ, jam plus minus sunt alienatæ, mollitæ, extenuatæ. Talis quoque fuit conditio oculi apud ægrum septuagenarium, cujus oculus post iridectomedialysin suppuratione pessum ivit, et cujus historiam igitur paulo infra, fusius exponam. Eo in oculo, prægressa phlogosis, magnam partem corneæ opacam reddiderat cum synechia anteriore fere totali, iridem extenuaverat, et cataractam quoque concitaverat.

Generatim vero, coremorphosis chirurgica est multo facilior, et quæ multo frequentius prospere succedit, quam plerique auctores autumant ¹.

Ad methodum et ad instrumenta, quae adhibuimus, quod spectat, nos in hacce chirurgica, æque ac in chirurgica cataractæ, omnino praecepta sequuti sumus Scholae illius ophthalmicae, in Europa primariae, quae a Schmidtio, Barthio, Beero, Jägero, Rosasio incomparabilem fere celebritatem adeptam est: instrumenta omnium simplicissima semper adhibuimus, keratotomum nempe, ad plagam corneae infligendam, hamulum simplicem vel volsellam ad extrahendam iridem, et forficulas ad illam excidendam.

Valde refert, in casibus qui coremorphosin desiderant, distinguere, an margo pupillaris *totus*, an *pars tantum* ejus, corneae adhaereat, an denique nulla detur synechia: omnium enim facillimi sunt casus, in quibus nulla datur synechia, difficiliore illi, in quibus totus margo pupillae corneae adglutinatus

¹ La formation d'une pupille artificielle est une opération, qui échoue très-souvent, ce qui tient à la lésion considérable qu'éprouve le globe de l'œil, à la disposition de cet organe à s'enflammer, déterminée par les maladies antécédentes qui nécessitent l'opération, enfin à la difficulté de celle-ci par suite de la mobilité de l'œil et des accidens spasmodiques qui surviennent quelquefois pendant l'opération. Le pronostic est par conséquent toujours douteux. (*Stæber, manuel pratique d'ophtalmologie. Paris, 1834 p. 284*).

est. Apud novem ex aegris. quibus novam pupillam fecimus, margo pupillae, vel *totus*, vel *fere totus* adhaerebat: in illis casibus *iridectomedialysin*, in istis *corectomiam* adhibere suevimus: chirurgia profecto eo facilior, ejusque eventus eo certior est, quo major est ora pupillae, quae adhuc pervia est, majorque pars corneae quae pellucida est.

Notatu dignus est casus, in quo chirurgiam bis reiteravimus: oculus sub chirurgia indocilis fuit, totus sursum et introrsum se abscondidit, neque chirurgia fieri potuit nisi oculum eodem modo cohibendo, quo cohiberi solet in operatione strabismi. Prima vice, iridem ab orbiculo ciliari quidem evellimus, sed iris, prius quam educi ex vulnere potuisset, ex hamulo excidit. Secunda vice, iris, ab orbiculo ciliari jam evulsa, in vulnus corneae insinuari et excidi potuit: utramque chirurgiam, sine infaustis sequelis oculus sustinuit. In tabula lithographica, hic oculus reperitur sub N. III. A latere externo leucomatis, videnda sunt fere rudimenta duarum linearum, vestigia scilicet vulnusculi, tam in prima, quam in altera chirurgia, leucomati inflictis, ut hamulo via in cameram anteriorem patefieret.

Quum in tabula synoptica, quae has chirurgias comprehendit, omnia fere momenta ad singulam earum spectantia, reperiantur, satis erit nonnullas tantum, tam *corectomiae*, quam *iridectomedialysis* historias breviter subnectere.

Leucoma utriusque oculi duos corneæ trientes occupans. Synechia fere totius marginis pupillaris. Iridectomedialysis in utroque oculo. Sanatio sine ullo gravi eventu. (In tabula lithographica Oculus I.)

Rusticus provinciæ Voronesch, sex supra viginti annos natus, inde ab infantia, ex vehementissima utriusque oculi inflammatione, videndi potentiam amiserat. Utraque cornea latissimum et irregulare leucoma, cum synechia totius marginis pupillaris, gerebat: in oculo dextro, particula corneæ adhuc pellucida, a latere temporis, in oculo sinistro vero, a latere nasi, remanserat. Casus, tum propter *totalem* marginis pupillaris *adhæSIONEM*, tum propter angustiam loci corneæ adhuc pellucidi, magis erat opportunus ad iridodialysin quam ad corectomiam.

Die 25 Sept. 1845 operationem in utroque oculo fecimus: keratotomo plaga, duarum fere linearum, in limite leucomatis, quamproxime locum corneæ adhuc pellucidum,¹ inflicta est, hamulus ophthalmicus pervulnus, in cameram anteriorem immissus, ad orbiculum ciliarem usque, compulsus est, iris ex orbiculo ciliari evulsa est, et ex vulnere educta, forcibus excisa est.

¹ Ubi vulnus corneæ in majori distantia fiat a loco corneæ adhuc pellucido, via non in cameram anteriorem, sed in cameram posteriorem aperitur, et adhæSIONES quæ marginem pupillarem corneæ agglutinant, obstant quominus hamulus in cameram anteriorem immittatur. Oportet igitur vulnus corneæ infligere omnino in circumferentia leucomatis, in loco scilicet, ubi nullæ amplius adhæSIONES dantur.

Eandem omnino chirurgiam fecimus in oculo sinistro, in quo, ut monuimus, pupilla in cantho interno fieri debuit. Sanguis, mox avulsa ab orbiculo ciliari iride, cameram implevit et novam pupillam occupavit: palpebras tæniola emplastris adhæsivi commisimus, ægrum erectiori capite cubare jussimus, et post horam circiter venam secuimus.

1-a die, lacrymæ ex utroque oculo subinde defluebant, nullus vero, neque in oculis, neque in capite dolor: pulsus 70, calor forte quidquam auctus, nulla sitis.

2-a die, nox tranquilla, aliqua epiphora, nullus neque oculi, neque capitis dolor, pulsus 73, vix quidquam major, calor: cibos æger desiderat, nutriturque pane jurulento.

3-a die, multum et tranquille dormivit, nullus dolor, sinister oculus magis quam dexter lacrymatur: pulsus aliquantum justo frequentior (75) et aliquis quoque calor carni, nisi forte a stragulis pendeat: deiecit, appetit, non sitit. Hodie mane primum, oculi, detracta tæniola inspiciebantur: palpebræ naturales, limbi illarum non tumiduli, non oedematosi, non rubri, tantum lacrymis aliquantum humecti: oculus uterque sine ullo rubore: in cameris, tam dextri quam sinistri oculi, nullus omnino amplius sanguis: pupilla nova in utroque oculo se offert nigra et pura: in penitioribus oculi partibus nil abnorme, sed in centro capsulæ oculi dextri, minimum punctum albissimum, perfecte circumscriptum visitur, *cataracta scilicet capsularis centralis*. Vespere circa sextam horam, scindentem, sed mitem dolorem in oculo dextro æger subinde sensit.

4^a die, dolor hesternæ die in dextro oculo circa vesperem subortus, ad mediam noctem gravior evasit, et ægro somnum proripuit. Fomenta egelida oculo admota, paulo post, dolorem dissiparunt.

5^a die, mane, vix aliquis dolor in oculo dextro, in sinistro omnino nullus, pulsus 68, nullus abnormis calor, nil lacrymarum: in usu fomenti egelidi perstitit usque ad vesperem: tum vero, quum nullus adesset amplius dolor, fomenta rejecta sunt, ne somnus turbaretur.

6^a die, nox optima, neque dolor, neque epiphora: hodie primum lectum reliquit et oculos apertos tenuit.

8^a die, aeger per aulas clinicas, protectis viridi umbraculo oculis, spatiatur.

15^a die, accedentibus affinibus, qui ægrum domum reducerent, discessit, visu in utroque oculo confirmato, pupilla nova in utroque oculo nigra, pura, formæ fere triangularis, apice scilicet leucomati, basi vero circumferentiæ corneæ obverso: potuit distinguere aciculam et rugas in palma manus transcurrentes. — Etsi pupillam novam in utroque oculo homo gerat, visus tamen duplex non est.

Cæcitas utriusque oculi ab ophthalmia variolosa. Leucoma centrale oculi dextri cum synechia totius marginis pupillaris. Staphyloma totale oculi dextri.

(In tabula lithographica Oc: II.)

Hebeti, ignavo, et fere stupido puero rustico, annum decimum tertium agenti, pupillam novam in dextro

oculo fecimus Februario an: 1846. Keretotomo vulnuscum in externa leucomatis ora infliximus, simplicem hamulum in primam cameram obliquiter demisimus, iridem ex orbiculo ciliari evellimus, ex vulnere excidimus. Ab oculi vulnere nulla phlogosis, nullusque dolor motus est, et sanatio, citra usum cujuscunque præsidii, tam feliciter contigit, quam quæ vel maxime.

Ophthalmia variolosa sex annis abhinc utrumque oculum pueruli obcæcaverat: in sinistro scilicet oculo staphyloma sphæricum, una cum staphylomate orbiculi ciliaris extabat: in dextro, leucoma magnum, mediam corneam occupabat, eique totus pupillæ margo adhærebatur. Etsi pupilla nova, ampla, et pura, et visui omnino esset opportuna, ejus tamen beneficio, minus videbat æger, quam pupilla promittebat: profecto hebetem quoque, una cum hebetudine mentis, videndi potentiam fuisse, credendum est.

Corectomia in oculo sinistro. Excisio staphylomatis globosi oculi dextri. (In tabula lithographica Oc: IV.)

Rusticus provinciæ Voronesch, annos quinque supra viginti natus, robustus, 14 die Februarii in Schola susceptus, quinque annis abhinc variolis veris graviter laboravit, et visum utriusque oculi perdidit.

In oculo dextro, pro cornea, magnum, globosum, luridi coloris tuber extabat, quod propter nimiam molem vix a palpebris contegi poterat: retro staphyloma

istud globosum, sclerotica superne in seriem tuberculorum cærulescentium, annuli adinstar dispositorum, erat sublata. (*Staphyloma annulare scleroticæ superius*). In oculo sinistro, leucoma densum et latum, totam mediam et imam partem corneæ, cum synechia *totius fere* marginis pupillaris occupabat: tantum a nasi latere, obliquiter in oculum inspiciendo, *exiguissima* rima pupillæ, quæ tota a leucomate erat contacta, adhuc visebatur: remanebat igitur huic oculo tantummodo facultas lucem a tenebris prompte distinguendi. — *Corectomiam* a latere nasi, keratotomo, volsella, et forficibus, citra omnem laborem fecimus 26^{ta} Februarii: oculus, tantum dependente splenio velatus est, quin palpebrae taeniolis adhaesivis committerentur. Horas post duas aliquis fere dolor in radice supercilii subortus est, qui brevi disparuit. Ad vesperem bene se habebat aeger; quum tamen juvenis esset et robustus, ei venam secuimus. *Alterâ die*, post bonam noctem, aliquis aderat calor carniûm, pulsus quidquam naturali erat frequentior, nonnulla epiphora, sed nullus oculi dolor. Sequentibus diebus omnia perinde procedebant ac si oculus non esset vulneratus. *Quinta die* apertas tenere palpebras, *nona* vero, jam per aulas clinicas spatari, aegro concessimus. Pupilla formae quadratae, nigra et visui opportunissima se praebebat, et aeger per illam minora quoque objecta distinguere poterat.

Praeterlapsis a prima chirurgia tribus hebdomadibus, staphyloma oculi dextri, loco medio inter ejus apicem et

basim, excidimus: excisio fiebat keratotomo majori, quo cornea deorsum secta est. sursum vero, sectio facta est forcibus, arrepto volsellæ dentatae ope panno, tanquam in keratotomia inferiore, jam deorsum secto. Cum humore aqueo, lens quoque, ex oculo excidit. Sub excisione staphylomatis, aeger dolores acerbos, qui tamen post dimidiam horam remiserunt, persensit. Post meridiem, nonnihil inhorruit aeger, dein incaluit, et dolor quoque oculi exasperatus est: circa septimam vespertinam, odontalgiam, circa nonam vero, dolores in oculo vehementissimos accusavit, sanguis ex oculo sat abunde stillavit, et sublatae in tumorem, a concreto infra illas sanguine, erant palpebrae: nocte tamen ad horas quinque aeger dormivit. *Secunda die*, dolores admodum mites oculum tenebant, pulsus naturali parum erat frequentior: palpebrae, a subter contracto cruore, quidquam eminebant. *Tertia die*, jam rubere et tumere ab inflammatione palpebrae coeperunt, et oculus quoque inflammatus, ex orbita prominuit. (Ophthalmoblepharitis). (*Fomenta saturnina. Sulphas sodæ*). Oculi et palpebrarum tumor inflammatorius cum aliqua febre, ad septimam usque diem perseveravit, et per hoc tempus, fomenta saturnina egelida aeger sibi admovebat cum dulcedine. *Octava die*, molliri et recedere tumor cœpit: ea die primum, palpebras aliquantum diduximus, et oculum inspeximus: conjunctiva ocularis tota erat chemotica, et vulnus oculo inflictum purulentam escharam referebat, inaequalem, supra quam hic illic jam pullulan-

tes visebantur papillae corneae: pulchrum tum fuit, sequi naturae processum in vulnere oculi, cui nil solidi subjectum erat, sed tantum vitreus humor: tertia hebdomade scilicet, vulnus illud orbiculare, quod prius escharam purulentam offerebat, jam prorsus erat detersum, et papillis carneis coopertum: conjunctiva, prius a chemosi valde turgida, ad finem tertiae hebdomadis, ad normalem conditionem erat reversa, tantum nonnihil rubebat: oculus naturalem iterum colorem acquisiverat, sed loco corneae, superficiem carunculis obsessam referebat. Carunculis illis, circa quadragesimam diem, pseudomembrana, seu pseudocornea coloris ex albo livescentis, erat superinducta.—In tabula lithographica, (Oc: IV) videnda est pupilla nova, in cantho interno oculi sinistri patefacta, et videndum est staphyloma globosum præmagnum oculi dextri, quod propter molem suam, inferiorem palpebram deorsum premit.

Staphyloma sphaericum oculi dextri, leucoma centrale oculi sinistri, cum synechia fere totius marginis pupillæ. Corectomia a latere temporis, fausto eventu.

(In tabula lithographica Oc: V.)

Operarius annos triginta natus, boni habitus, 5 Septembris 1845 in Schola susceptus, oculum dextrum caecum habebat a staphylomate globoso oculi dextri, et oculum sinistrum quoque caecum, a leucomate corneæ præmagno, cui totus adhaerebat margo pupillae, prae-

ter exiguissimam rimam, quae a margine leucomatis abscondita, aegre, et inspecto tantum obliquiter oculo, deprehendi poterat. In nitrariis prope Poltavam occupatus, ante annum, ophthalmoblenorrhoea gravissima, quae caecitatem induxit, adortus fuerat.

10 *Septembris*, vulnusculum linearum circiter duarum, in extremo externo corneae margine keratotomy sectum est, hamulus ophthalmicus per vulnus in cameram anteriorem immissus est, margo pupillaris arreptus et ex vulnere traductus, excisus est. Nulla omnino phlogosis, nullus dolor vulnus excepit: pupilla a latere temporis, fere transversim ovata, justae magnitudinis, nigerrima, videndi potentiam apprime restituit. Dimissus est 12 die a chirurgia. In tabula lithographica N^{-us} V. refert oculum dextrum cum staphylomate globoso, et oculum sinistrum cum nova pupilla, a latere leucomatis.

Atresia utriusque pupillæ, a prægressa iritide. Corectomia in oculo dextro, a latere nasi, fausto eventu.

Rusticus ex agrò Voronesch, annum quadragesimum quintum agens, habitus sani et robusti, tribus annis abhinc suborta oculi inflammatione, quae plures menses traxit et vehementes oculorum dolores socios habuit, facultatem videndi amiserat.

19 *die Maii* in Schola susceptus, signa prægressae iritidis, graviora in sinistro quam in dextro oculo,

obtulit: pupilla oculi dextri erat valde angustata, eamque totam pseudomembrana occupabat: pupilla oculi sinistri prorsus erat conglutinata, iris alienati coloris et extenuata: lucem a tenebris uterque oculus distinguebat, promptissime dexter, multo segnius oculus sinister, in quo forte, a tergo clausae et alienatae iridis, suspicanda quoque erat cataracta.

25-die Maii 1846 corectomiam fecimus in oculo dextro: membranula quæ pupillam occupabat et cui totus pupillæ margo adhærebat, *opacior* erat in *centro* quam in *circumferentia*: spes igitur adfuit, posse adhæsiones illas tenuiores trahenti hamulo cedere et rumpi: quamobrem, pupillam, per *corectomiam* fecimus, inflincta, a latere narium in extrema circumferentia corneæ plagula vix linearum duarum, insinuato in anteriorem cameram, usque ad marginem pupillæ hamulo, arrepta iride, extrorsum tracta, atque forcibus excisa. Membranula margini pupillari adhaerens, quasi candidus discus, in sede remansit; iris vero, modicissima tractione adhibita, a membranula divelli, et ex oculo evocari passa est. Protinus per novam pupillam res, quæ circumstabant, distinguere homo potuit. Oculus velatus est, sine tæniolis adhæsivis.

Ea die et proxima nocte, omnino sine dolore oculus fuit. Matutina visitatione subsequentis diei, pulsus ægri aliquantum frequentior et durior visus est, quamobrem vena secta est. Cæteris diebus, nullum remedium adhibitum fuit, præter unciam unam alteramve

sulphatis sodæ. — *Sexta* die, ambulandi per aulas clinicas, duodecima vero jam discedendi, ægro concessum est: per novam pupillam, prompte aciculam distinguere poterat. In tabula lithographica N^{us} VI, exhibet oculum dextrum cum pupilla nova, transversa, a latere nasi: videnda quoque in eo oculo est membranula, in centro opacissima, quæ pupillam occupans et radios lucis intercipiens, cæcitatem induxerat. In oculo sinistro videnda est pupilla impervia, pseudoplasmate impleta.

Iridodialysis oculi dextri, nullo labore absoluta, infaustissimo eventu.

Rusticus septuagenarius laxi habitus, quum ante annos decem ligna secuisset, oculum sinistrum ligni fragmine vehementer vulneraverat, indeque oculum, suborta ophthalmitide purulenta, perdiderat. Anno circiter abhinc, forte ophthalmia gravissima oculum dextrum invasit, ex qua ille quoque oculus videndi facultatem amisit. Rusticus igitur utroque oculo cæcus, in Scholam traductus est, 10 die Martii 1846.—In oculo sinistro, pro cornea, cicatrix visebatur: cornea vero oculi dextri magnum leucoma gerebat, quod a latere nasi tantum, quadrantem corneae partem non occupabat: iris, trans locum corneae adhuc pellucidum, apparebat coloris obsoleti, non naturalis, extenuata, qualis esse solet a prægressa iritide. Margo pupillae fere to-

tus leucomati adhaerebat, supererat tantum angustissimus pupillae hiatus, per quem aeger, nisi utcumque videre, saltem prompte lucem a tenebris discernere debisset: nihilominus, aeger lucem aegre tantum poterat discernere: generatam igitur, a praegressa ophthalmia, quoque cataractam fuisse, suspicati sumus. Aderat praeterea chronica lippitudo, sive a senio, sive a perpessa ante annum, gravissima phlogosi.

15 *Martii*, periculum novae pupillae fecimus per iridectomedialysin, locus enim corneae adhuc pellucidus, nimis erat angustus, ut corectomia tuto fieri potuisset: alioquin, pupillae adhuc pervius hiatus, adeo erat exiguus, ut, ubi corectomia facta fuisset, margo iridis, vix sequi trahentem hamulum potuisset. et pupilla, per hanc methodum absolutam, nimis angustam et visui imparem tantum rimam obtulisset. Quamobrem, vulnusculum, de more, in margine leucomatis, prope locum corneae pellucidum infliximus, hamulum simplicem, in cameram anteriorem oblique ad orbiculum ciliarem usque, immisimus, et arreptam iridem ex vulnere protractam, forcibus excidimus. Mox, sanguis cameras implevit, et novam pupillam abscondidit: quum tamen momentum aliquod, etsi brevissimum, semper interjectum sit inter iridis evulsionem ab orbiculo ciliari, et sanguinis ex laceratis vasculis effusionem, eo momento, per novam pupillam videre potuimus cataractam, quae candore suo, in oculos incidit: cataractam tamen aggressi non sumus, ne oculus ab operatione nimis laederetur, eam-

que in posterum, ubi pupilla nova successura fuisset, aggredi statuimus.

Oculus, sub chirurgia, perinde tranquillus et immobilis fuit, ac si omni sensu careret: operatio igitur tota, neque facilius, neque tutius fieri unquam potuisset: cornea vero, vix inflicto vulnere, et effluxo humore aqueo, flaccida, in plicas fere subsedit.

Ea die ad vesperem, magis quam de more fieri solet, oculus dolebat, nonnulla quoque febris aderat, nam carnes justo magis calebant, et arteriae concitatae, justo celerius pulsabant — (*Venaesectio, sulphas sodæ, — fomenta frigida ex infuso belladonnæ oculo admovenda.*)

2-a die: noctem satis tranquille aeger transegit: mane, non tam de dolore, quam de pruritu in oculo vulnerato conquerebatur: diductis aliquantum palpebris, conjunctivam palpebrarum valde rubram vidimus: nonnihil rubra erat quoque conjunctiva ocularis, non magis vero quam in taraxi; stamina mucii, tum palpebris, tum bulbo quoque adhaerebant: camera anterior, sub operatione collapsa, jam naturaliter turgebat: sanguinis in cameris effusi tantum vestigium remanebat, et per novam pupillam, jam cruore vacuum, cataracta se ostendebat. Quum indubia signa nasciturae ophthalmoblennorrhoeae jam adfuissent, oculo solutionem argenti nitrici ex granis tribus pro uncia, instillavimus, et in ambitu orbitae duodecim hirudines affiximus. *Vespere*, conjunctivam ocularem prorsus chemo-ticam, et oculum ex orbita nonnihil protrusum inve-

nimus: mucī secretio abundissima erat, et oculus ita se habebat ac solet post cataractae extractionem, quam ophthalmitis sequitur: Actum igitur jam esse de oculo iudicavimus, neque vehementiorem adhibere antiphlogisticam methodum, in provecta aegri aetate, consultum esse duximus; semper enim vidimus post cataractae extractionem, omnem curationem irritam iri, ubi conjunctiva fiat chemotica, et ubi oculus ex orbita vel parum protrudat. Fomenta igitur aromatica tantum, oculo superposuimus, operamque dedimus, ut alvus lubrica servaretur. Subsequentibus diebus, ophthalmoblennorrhoea gravior evasit, oculus ex orbita sensim eminuit, palpebrae quoque, ab inflammatione intumuerunt, cornea in suppurationem abiit.

Casum propterea adnotavi, quod inter permultas iridodialyses quas feci, nunquam sese casus mihi obtulerit, quem ophthalmitis purulenta sequuta fuerit.

Pupillæ arte factæ, vetustate notabiles. Fig: 21. 22.

Praeter pupillas novas quas hocce anno fecimus, peculiarem quoque attentionem sibi vindicarunt casus duo veteris coremorphoseos, qui fortuita occasione, se in Schola hocce anno obtulerunt, alter in puella tredecim annorum, alter in viro annorum triginta trium.

Puella, ancillae munera explebat apud aegrotantem, cui Februario mense perinaeum, propter vastum abscessum inter sacrum et rectum intestinum, incidimus. (V. p. 223.) Vir autem, in Scholam se contulerat ob levem

contusionem, quam sustinuerat. Quum, in oculis leucomatosis tam puellae illius, quam viri, pupillam non naturalem vidissemus, re propius percontata, rescivimus, puellam anno 1838, virum anno 1837, jam in Scholam, caecitatis causa se recepisse, et chirurgiam, per quam visus facultas iis fuerat restituta, tum subisse. Occasionem ita, profecto non frequentem, nacti sumus, cognoscendi conditionem et usum illarum pupillarum, jam pluribus praeterlapsis annis, ex quo arte factae fuerant. Percontatis clinicis adversariis anni 1837, et 1838, ea, quae ad singulum horum aegrotantium pertinent, sic fere sunt:

Puella, quum Martio mense anni 1838 in Scholam traducta fuisset, quintum aetatis annum agebat, et utroque oculo caeca erat: vastum nempe in utraque cornea gerebat leucoma, cui totus fere pupillae margo erat adhaesus, patente tantum minimo hiatu a latere temporis. Angustissima rima pupillae adhuc perviae, ob synechiam, versus leucoma attracta, nullius erat usus, tota enim a limbo leucomatis erat obtectata: puella igitur, incomitata incedere nequibat, sed promptissime lucem a tenebris discernebat. Pupillam novam, ei feceramus per corectomiam in utroque oculo a latere temporis, qua parte scilicet pupillae margo, leucomati non adhaerebat. Chirurgia, sine ullo infausto eventu in utroque oculo successerat, dimissaque aegra fuerat, die decima quinta a suscepta curatione.—Februario mense anni 1846, quum puellam hanc, jam annum decimum

tertium agentem, vidissemus, factas olim pupillas invenimus puras, nigerrimas, sine ullo internarum partium suffusionis vestigio. Pupillæ, sicut in effigie 21 fideliter expressæ visuntur, transversim a latere temporis sitæ sunt, sed nonnihil oblique sursum spectant. Margines utriusque pupillæ, pro vario lucis gradu, tanquam in pupillis naturalibus se se aliquantum diffundunt et contrahunt. Pupilla oculi sinistri, altitudinem lineæ sesquiunius, et longitudinem linearum duarum circiter aequat; sed pupilla oculi dextri angustior est, altitudinis scilicet est circiter lineæ unius. — Puella per novas pupillas minora quoque objecta prompte cernit, aciculam, puta, rugas in palma manus exaratas; sed distinctius oculo dextro, quam sinistro. — Etiamsi novam pupillam in utroque oculo, et in utroque a latere temporis gerat, nihilominus tamen, puella neque diplopia, neque strabismo affecta est.


Homo autem, quum mense Septembri anni 1837 in Scholam se recepisset, annum agebat vigesimum quintum: inde ab annis decem, ab ophthalmia variolosa, oculum sinistrum suppuratione perdiderat: (tabes oculi), oculi autem dextri corneam leucoma vastissimum occupabat, pellucido duntaxat quadrante corneae superiore externo: margo pupillae fere totus leucomati adhaerebat, et minima tantum pupillae particula, adhuc pervia remanebat, sed tota, a leucomate erat abscondita. Contra locum corneæ pellucidum pupillam feceramus 10 Octobris anni 1837: per vulnus in extrema circumfe-

rentia corneæ inflictam, iris ope volsellæ Blömeri extracta fuerat; sed prius quam iris forcibus excisa fuisset, æger repente, et magna violentia, sursum et introrsum oculum contorsit; unde evenit, ut volsella, quæ repentinum oculi motum sequi haud potuerat, partem superiorem iridis ab orbiculo ciliari quoque divellerit, et ex vulnere traduxerit: excisa iride, habenula ejus. in vulnere incarcerata remanserat: hæc habenula pupillam novam in duas partes quodammodo separabat, superiorem et ampliorem alteram, alteram inferiorem et angustiolem: pars superior pupillæ, fortuitæ iridodialysi tribui deberat; pars inferior, corectomiæ. Etiam si sub chirurgia modo memoratum infortunium contigisset, nihilominus tamen, oculus bene vulnus pertulit: inflammatio sequuta non est, et facta semel tantum, mox post chirurgiam, venæsectione, oculus sanationem recepit, quin infaustus aliquis eventus interveniret. Vir decima septima die dimissus, potuit dein, ut modo nobis narravit, curato oculo uti, nec eo oculo deinceps unquam laboravit. Etiamnum hic homo rudiora famuli munera in urbe explet, apud Sacerdotem Ecclesiæ S-ti Michaelis.

Icon 22^a hunc hominem repræsentat: oculus dexter tabidus est; sinister pupillam a latere temporis, sursum patentem, puram, nigerrimam, a transversa iridis habenula in duas partes divisam, gerit. Visus duplex non est, pupilla superior, amplior, illa est, quæ præcipui usus est.



Ancilla 15 an: cum pupillis, ob annis
octo, arte facta.



Vix 34 an: cune pupilla ab
annis novem, arte facta.



